

01.4  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
CANONICA,

DE

JURIBUS PAROCHI  
PRIMITIVI,

EX JURE COMMUNI,

&

Statutario Trevirensi confecta,

Q U A M

unà cum Corollariis

PRO

*consequendo juris utriusque Doctoratu*

in

Almâ & antiquissimâ Universitate Trevirensi

PROPUGNAVIT

PHILIPPUS FRANCISCUS REISS

ex Cröv,

*præviâ disputatione publicâ exercitatoriâ, tenta-  
mine, & examine riguroso,*

Inclytæ Facultatis Juridicæ decreto

ad hoc postremum specimen admissus

In Auditorio juridico majore

die 10. Julii 1752.

ab horâ octavâ.



ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSI-  
MOQUE DOMINO

D. HUGONI  
CASIMIRO EDMUNDO

S. R. I.

L. B. DE KESSELSTATT

Domino in Föhren, Arenrodt, Doden-  
burg, Bruch, Arnrath, Rivenich, Bau-  
fendorff, Löfenich, Empel, Stolberg,  
&c. Electoralis & Archi-Episcopalis  
Aulæ Trevirensis Archi-Camerario  
hæreditario, Eminentissimi Domini  
Electoris Trevirensis Camerario  
actuali, Archi-Satrapæ Palatiolensi,  
& Advocato hæreditario in  
Cröver-Reich &c. &c.

Domino meo perquam Gratiofo.

ILLUSTRISIME S. R. I.  
LIBER BARO,

Domine perquam Gratiose.

**Q**ui Solem occidentem anno elapso rever-  
rebar, ad Orientem me nunc vene-  
rabundus converto. Excellentissimo  
Domino Parenti TUO, CAROLO  
FRIDERICO MELCHIORI, eheu, suis, mihi-  
que, premature nimis erepto, primitias juridicas  
consecravi sub illud ferè tempus, quo ad vitæ suæ  
laudabilissimæ occasum festinans declinabat. Li-  
ceat mihi hodie in aliquale doloris mei solatium ado-  
rare in Parello Solem, in filio representationis jure  
superstitem imaginari Patrem! Et sane, si os hume-  
rosque, si proceritatem corporis, si pietatem, si gene-  
rositatem animi, si bonitatem indolis, quæ dotes pa-  
terne fuerunt, contueor, verum TE CAROLI  
FRI-

FRIDERICI MELCHIORIS filium non solum  
iusta nuptia, sed etiam habitus, moresque demon-  
strabunt ipsissimi. Solem igitur meum non autumo  
occidisse, quando TUUM ad regimen spectabilium  
Dynastiarum, ac Jurisdictionum, contemplos as-  
censum ab oriente lucidissimum. Perge, ILLUS-  
TRISSIME AC GRATIOSE DOMINE, Lux  
& Sol meus, in Zodiaco nobilitatis Germani-  
ca, cujus precipuum existis Astrum, currere vi-  
am TUAM: exulta ut Gigas: occurre usque  
ad summum Cœli, plenumque meridiem, & qui iti-  
neribus multis jam permeasti varia mundi signa,  
libram, præsertim, quâ didicisti hic, Lovanii, & Pa-  
risiis apponderare cuique suum, nunc propera per sig-  
num Leonis ad VIRGINEM, mensis Augusti præ-  
sidem, tanquam Sol sponsus procedens ad thalamum  
suum. Ego interea cum aliis KESSELSTADIA-  
NIS Clientibus in terra humiliori globo consistens,  
tuosque

tuosque in excelso orbis politici theatro gyros suspi-  
ciens admirabor, id supplicans unum, ut hanc de-  
dicatarum Theſum bonam, gratiamque volun-  
tatem meam gratiosè admittas, radiisque TUIS so-  
laribus fortunas meas, quatenus incalescant, fo-  
vere digneris. Ego, sicut TIBI, Tueque Perillustri  
Domui pridem oboratus reliquor amplam summam,  
vice gratitudinis versâ ad omnes nutus cum pro-  
fundo obsequio perstabo & emoriar

Illustrissimæ, Generosissimæ, ac per-  
quam Gratiôsæ Dignitatis TUÆ

Servus promptissimus,  
& humillimus  
P. F. REISS.



## PRODROMUS.

**P**istoris primitivi jura quaedam sunt, & respectivè prætenduntur esse spiritualia: Quaedam verò temporalia. Utrumque genus juriùm presenti Diatribâ investigatum ibo, citra cujusquam, ut spero, offensam; quæ enim academicè scribuntur, non sunt iis similia, quæ causarum Advocati deducunt in judiciis. Pro cathedrâ attenditur veritas, & verosimile, inattento, cui, vel quibus, positio doctrinæ in rem sit, vel in præjudicium. Adstringam verò meditationem meam ad jus commune, ejusque cum usu Trevirensi analogiam, præmonendo, (1) non esse per omnes Ecclesias pastorum primitivorum jura eadem & uniformia extoto, sed moribus, concordatis, legibus, & statutis locorum particularium limitata admodum, hinc inde etiam conniventia Ordinariorum largiora; (2) In facti autem occurrentia sæpenumero evenire, ut, confusione parochi primitivi cum primario seu

A

actuali

✠ ( 2 ) ✠

actuali factâ, abufivis parochis eadem transmittantur, qua primariis, jura.

---

## CAPUT I.

### Pastoris primitivi jus quoad exercitium, & commissionem curæ.

#### §. I.

**P**astor primitivus in obeundis officiis parochialibus nihil planè juris habet: ideóque nullâ ratione animabus regendis & pascendis sese potest ingerere. \*

\* Sequitur hæc pragmatica positio ex genuinâ ideâ primitivi pastoris, quam delineavit D. Collega meus PHILIPPI, quàmque hoc ipso transferes, si parochi primitivo regimen pastorale tribuas. Nempè totum hoc, quod dicit parochia, divisum est: *Qualitas beneficii*, seu *Præbende*, residet in personâ primitivi parochi: quia hic habet jus percipiendi redditus parochiæ: *Qualitas autem Cura*, sive *Rectoris curati*, inhæret ossibus *Vicarii*. Atque hinc nemo miretur, tot incorporationes factas esse ipsis ad eò militiis, & mulierum conventibus, religiosis, quibus incumbentia curæ non convenit: quia incorporantium animus non erat, Ecclesiam, in quantum curata est, concedere talibus, sed unice, in quantum fructifera.

#### §. II.

**N**eque præstabit parochi primitivo ullam in spiritualibus, & qua cura sunt, auctoritatem bulla, vel charta dicens, quòd possit regere Ecclesiam sibi incorporatam. \*

\* Quia



\* Quia vi hujus clausulæ tantummodò reget, id est, administrabit *temporalia* parochiæ; nisi addatur expressè: *etiam in spiritibus*. Cujus rei manifestum signum est, quòd plerumque in bullis subjungatur: *Et sibi de fructibus, redditibus, ac proventibus responderi faciat; omittatur autem, quòd possit sibi responderi facere de curâ animarum.*

§. III.

**E**X quo fundamento consequens fit, (1) *Pastorum primitivorum Vicarios esse ( quantum ad animas ) unicos, veros, proprios, ac ordinarios Pastores, talésque meritò scribi & salutari; \* etiam si forent ad nuntum amovibiles, seu temporales. \*\**

\* Hoc integro Spho demonstrat Van ESPEN in *dissert. de pristina. altar. incorpor.* Suadet convincens ratio, cùm in *lineâ* cura nullius magis-curati vices obeant, vel personam repræsentent. Insinuat CLEMENS III. in *Cap. 1. de prob. in 6.* non appellando eos *Vicarios*, aut *Vice-Regentes*, sed *Rectores parochialium Ecclesiarum*. Consentit ordinatio LUDOVICI XV. Regis Galliæ de an. 1726. art. 2. *Que pour inspirer à nos peuples le respect, & la juste confiance, qu'ils doivent à leurs pasteurs, les Vicaires perpetuels puissent en tous actes, & en toutes occasions, prendre la qualité de Curés de leurs paroisses, & qu'ils soient reconnus en cette qualité par tous les fideles confiés à leurs soins.*

\*\* Quia & respectu istorum verum est dicere, quòd majorem, imò alium, præter se, animarum directorem in hac parochiâ non agnoscant. Assimilantur ergò hi primitivorum parochorum vicarii temporales illis curatis, quibus *temporaliter commendatur Ecclesia*, qualis casus est in *Cap. 15. de elect. in 6.* aut parochis, *nudam commendam habentibus*, absque investiturâ, cujus qualitatis sunt omnes parochi per Moguntinam, Herbipolensem, & Spirenses Dioceses, qui non accipiunt curam in *titulum*, sed in *commendam*.

§. IV.

- (2) **V**icarios *non recipere commissionem*, ut nos vocamus Trevis, *regendi*, aut delegationem curæ à *pastore primitivo*, qui eos præsentat; neque  
 (3) huic *super animabus rationem reddere*, sed *Episcopo soli*. \*

\* Hoc an. 1095. decrevit pragmaticus Canon Claromontanus sub **URBANO II.** relatus in Cap. 6. XVI. q. 2. *Quia monachorum quidam Episcopis JUS SUUM AUFERRE contendunt, statuimus, ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi PAROCHIAE CURAM cum abbatum consensu Sacerdoti COMMITTANT; ut ejusmodi Sacerdotes de POPULO quidem CURA EPISCOPIS RATIONEM REDDANT, abbati verò pro rebus TEMPORALIBUS, ad monasterium pertinentibus, debitam subjectionem exhibeant, & SIC SUA CUIQUE JURA SERVENTUR.* Istum canonem universalem dico pragmaticum, quia huic, velut basi, inædificantur omnes reliquæ decretales, & ordinationes, tum Papales, tum Episcopales, ad hanc materiam pertinentes. Evidens autem argumentum ex dicto canone promitur, *pastoratum*, quatenus in sacris consistit, non esse penes pastorem primitivum, tanquam curatum principale, & ordinarium; alias ab hoc mandari posset unversis curæ Vicario, & huic ratio regiminis animarum deberet reddi, saltem suo modo.

§. V.

**E**T ideò (4) repudiari meritò præsentationem pastoris primitivi, in quâ ipsam curam videtur committere Vicario. \*

\* Scio, rejectam fuisse hanc formulam in Vicariatu generali: *Parochiam tibi conferimus, sibi que de eadem providemus, sed istam, ac vigilantem parochialis nostræ Ecclesiæ curam, onus, & regimen in*

suam animam committentes, injungentes memorata parochia nostræ Synodalibus, & parochianis, quatenus tibi tanquam Curato, & Rectori, debitam obedientiam, & reverentiam exhibeant. Est enim directè contraria Canoni Claromontano. Error styli fortassis oriebatur inde, quòd crederentur omnes incorporationes esse unius ejusdemque speciei, & indolis, & sic *insima species parochialitatis* confunderetur cum *secundâ*, & majori.

§. VI.

**I**N Galliâ fas est parochis primitivis summam missam cantare quatuor festis majoribus, & Patrocinii, \* Germania hanc eorum prærogativam ignorat. \*\*

\* Ludovici XIV. Constitutio de an. 1690. & Ludovici XV. an. 1726. art. 3. *Que toutes fonctions, preeminences, droits honorifiques, ou utiles, pretendus par les Curés primitifs, de quelque nature, qu'ils puissent être, soient à l'avenir, & pour toujours réduits, comme nous les réduisons par les présentes, à la seule faculté de faire le service divin les quatre Fêtes solennelles, & le jour du Patron, s'ils ont titre, & possession valables à cet effet; Tunc verò Sacramenta ministrare, aut verbum Dei prædicare, ne quibunt absque missione Episcopali: Sans qu'ils puissent lesdits jours pretendre administrer les Sacramens, ou prêcher sans une mission speciale des Evêques. Id ipsum innovatum legitur an. 1731. art. 4.*

\*\* Treviris quidem insignis Ecclesia Collegiata S. Paulini extra muros obit in festo Patrocinii solemnes functiones in parochiali S. Antonii de hac urbe toto choro, & omni solemnitate, Decano Missam cantante; sed non est hic casus parochi merè primitivi, ut infra patebit.

§. VII.

**I**N Treviratu plurimi parochi primitivi suos Vicarios (si fuerint sæculares) investiendos mittunt ad locorum Archidiaconos: aliqui pauciores dant eis ipsi-

met

met possessionem Ecclesiæ corporalem, cum solemnitatibus consuetis eosdem plebi præsentantes, nullâ præviè receptâ ab Archidiacono investiturâ. \*

\* Ita alma Universitas Trevirensis anno 1748. in duabus suis Ecclesiis parochialibus, S. Laurentii, & S. Gangulphi de hac urbe Vicarios suos (qui ex bullâ incorporationis primævæ Sixti IV. deberent esse perpetui, ex indulto Clementis VII. autem *ad nutum ponendi, & amovendi*) installavit solemnissimè per semetipsam, deductos ab universo Corpore Academico in habitu, ~~§. III. Ut mandatum in Statuto non possit~~  
~~non esse idem statum sine Vicariatusque~~ sine præviâ Archidiaconali investiturâ, neque solutis primis fructibus.

§. VIII.

**Q**Uæ tamen *corporalis immissio*, installatio, seu *possessionis datio*, vel *apprehensio*, nequaquam fieri debet, *nisi precedat institutio authorizabilis*, id est, *authoritas ab Episcopo data in oves*, quæ vocatur vulgò *commissio regendi*, & conceditur per organum Vicariatûs generalis. \*

\* P. ENGEL ad Libr. III. decret. tit. 7. num. 77. SCHMALTZGRUEBER ad Lib. III. tit. 5. num. 192. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et quis mittet alius, nisi Episcopus? Quo jure præsumet mittere parochus primitivus, qui ipsemet non est missus, nec posset obire functiones parochiales, absque speciali missione, tamen si vellet? Curam qui non habet, quomodo communicabit alteri? Tam parùm ergo parochus primitivus curam committere potest vicario, quàm parùm alius quispiam patronus. Et est invictum argumentum in Cap. 4. de offic. Archid. *Cum satis sit absurdum, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum, ut Archidiaconus auctoritate propriâ debeat CUILIBET Ecclesiarum curam committere, egrè nimis ferimus, quòd in sine mandato Episcopi sui personis curam*

*animarum committis. Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis non debes contra Sanctorum Patrum constitutiones venire, & quod ad tuum non spectat officium vendicare, mandamus, ut nemini sine licentiâ & mandato Episcopi, curam præsumas committere animarum. Si Archidiaconus, qui in dignitate, & jurisdictione externâ constitutus est, curam cuilibet nequit committere, quanto minùs parochus primitivus, qui tantùm abusivè pastor est, & sub hâc qualitate non plus, imò minus, quàm parochus quidam alius-proprius & actualis?*

§. IX.

**A**Tque isthæc commissio usque adeò reservata est Episcopo, \* ut Prælati inferior, etiam si aliquam jurisdictionem habeat, & institutionem *tituli collativam*, \*\* præscribere tamen quocunque tempore non possit *authorizabilem*, \*\*\* Quantò igitur minùs parochus aliquis primitivus?

\* Cap. Nullus 11. XVI. q. 7. *Nullus omninò Archidiaconus, aut Archipresbyter, sive Præpositus, vel Decanus animarum curam, vel præbendam Ecclesie, sine iudicio vel consensu Episcopi alicui tribuat... animarum cura in Episcopi iudicio & potestate permaneat. Et Cap. 4. X. q. 1. Regenda est unaquaque parochia sub provisione ac tuitione Episcopi per Sacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipse cum Dei timore providerit. Similiter Cap. 31. de præbend. de Regularibus in Concilio Lateranensi statuitur, quatenùs in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem Concilii statuta, Episcopis instituentos Presbyteros representent, ut illis de plebis curâ respondeant, ipsi verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem.*

\*\* Beneficium curatum potest inferior quis de consuetudine, privilegio, aut præscriptione conferre alteri *in titulum*, sive habere jus in- & destituendi. Cap. 18. de præscript. quanquam institutio collativa tituli *de jure communi* pertineat ad Episcopum. *Ibid. in verb. institutionem, & alia ad jus Episcopale pertinentia.* Videatur GONZALEZ in Cap. 6. de offic. Archidiac. Attamen ille,

ille, qui ab inferiore institutus est, Sacramenta administrare, & curam exercere propterea nequit, nisi Episcopus eam sibi licentiâ speciali demandaverit, cum de unanimi Canonistarum sint diversæ institutiones, *collativa tituli, & authorizabilis*, illa minor, hæc major: consequenter unâ competente nondum eo ipso competat & altera: Ita communis: Cujus rei argumentum subministrat alleg. Cap. 18, in quo *abbas sufficienter ostendit, monasterium suum super institutionibus, destitutionibus, & ordinationibus Plebani, & Clericorum, baptismo, & pœnitentiâ in levioribus culpis, sepulturâ, decimarum perceptione, ac divinis officii celebrandis, tam in plebe, quàm in Capellis, in excommunicando, atque interdicens, & etiam absolvendo, legitimâ præscriptione munitum, & triumphavit contra Episcopum, quantum ad hæc insignia profecto & extraordinaria jura: Non obstante autem hâc tantâ victoriâ condemnatur Abbas super, aliis omnibus, quæ ad jus Episcopale spectare noscuntur.*

\*\*\* Hæc est constans & uniformis Canonistarum doctrina, desumpta ex Cap. 6. de offic. Archiep. & Cap. un. de Capell. monach. in 6. nec non Trid. Sess. 7. cap. 13. de reform. quam deducit GONZALEZ in cit. Cap. 6. num. 4. Ratio est, quia *absurdi nulla præscriptio, ut intitulatur cit. cap. 6.* Et consuetudo, hierarchici ordinis convulsiva, foret corruptela.

S. X.

**C**ommissio, inquam, *cure* necessaria est, non *sola* & *nuda approbatio ad excipiendas confessiones*, fortassis præhabita. \*

\* *Commissio cure, & simplex approbatio pro confessionali differunt inter se valdè; cura non committitur vagè, sed respectu certæ plebis, approbatio autem vagè pro totâ diœcesi: cura commissio est quædam jurisdictionis episcopalis in plebem communicatio: approbatio non item, cum præter eam ad validè absolvendum requiratur jurisdictio. Denique is, qui nondum Sacerdos est, potest recipere commissionem regendi parochiam, licet nondum sit approbatus ad confessionale. Et quid opus est*

est multis? Conferantur sola formularia *Commissionis regendi, investitura archidiaconalis, & approbationis Confessarii, & videbitur, esse inter hæc tria discrimen, ut adeò mirandum sit, egregium aliàs Canonistam Regularem P. ENGEL ad lib. 3. decret. tit. 3. num. 7. hæc duo invicem confudisse. Profectò antiquissimæ incorporaciones in terminis habent: Vicarius à nobis curam recipiet animarum: vel, cui etiam cura committetur animarum. Quæ verba plana sunt, minimè que detorquenda ad solam licentiam excipiendi confessiones.*

§. XI.

**Q**Uàm circumspectè sibi, suisque Archi-Diaconis (antequam Vicarii Generales aderant) hanc *commissionem curæ* reservaverint Archiepiscopi nostri Trevirenses, patet ex formulis incorporationum. \*

\*Refero me simpliciter ad Dissert. Domini Collegæ mei PHILIPPI, in quâ plures referuntur formulæ. Unam adhuc alteramve spicilegii loco superaddam hîc, quæ assertorum meorum veritatem apertè confirmet.

§. XII.

**H**ILLINUS Archiepiscopus, qui sedit ab anno 1152. usque ad an. 1169., incorporavit Ecclesiam matricem de VILLMAR Abbatix S. Eucharîi, nunc S. Mathiæ, in formâ amplissimâ, \* nihilominus *commissionem curæ* sibi reservando. \*\*

\* Nos, quidquid juris Episcopalis erat (intellige ad sensum cap. 7. de donat.) *Petitione, & admonitione Romane Sedis Legatorum D. Bernardi Presbyteri, & Gregorii Diaconi, rogati etiam, & benevolenti assensu Alexandri Archidiaconi, in cujus Archidiaconatu eadem parochia sita erat, præfata Ecclesia (S. Eucharîi) INTEGRÈ, & absque omni diminutione, liberè contulimus. Sacerdos item Vicarius recipere*

re jubetur *de manu Abbatis* decimationes, in literis sibi assignatas, imò & *investituram*. Hanc privilegiatam incorporationem, quæ (sicut literæ consensûs, à Capitulo Metropolitano præstiti, præ se ferunt) anno 1154. indictione 2dâ contigit, de verbo ad verbum literis suis confirmatoriis inseruit BOE-MUNDUS Archiep. an. 1292. Sabbatho post festum Pentecostes.

\* *Idem verò Sacerdos investituram de manu Abbatis, & CURAM ANIMARUM DE MANU ARCHIDIACONI SUSCIPIAT, & ad Episcopalem Synodum jure pastoralis nota incidenter, quòd Vicarius sit pastor, veniat.*

§. XIII.

EUGENIUS III. confirmavit inter alia dictæ celeberrimæ Abbatix *Ecclesias de majori, & minori Villmar, sed salvâ Trevirensis Archiepiscopi canonicâ justitiâ.*\*

\* Bulla Eugenii, quæ incipit: *Ad hæc*, data in favorem Abbatix.

§. XIV.

PIUS II. concessit anno 1459 eidem Abbatix, ut posset Vicariam de VILLMAR, quoties ipsam Vicario carere contigerit, per unum ex monachis suis, & quando id magis expedire judicaverint, etiam per *seculare Presbyterum, per ipsos Abbatem, & conventum, ad nutum amovibilem, perpetuò regi, ac gubernari facere, cum clausulâ: cujuscunque alterius super hoc licentiâ minimè requisitâ: & nihilominus commissio regendi excipitur, quam debebat Abbas recipere.*\*



\* *Volumus autem, quod Abbas pro tempore existens COMMISSIONEM CURÆ ANIMARUM ab Archiepiscopo, vel Archidiacono loci, pro tempore existentibus, prout juris fuerit, RECIPIAT, ac Episcopalia jura solvat, & alia incumbencia onera per Vicarium prædictum supportare teneatur.*

§. XV.

**I**n sequelam hujus bullæ JOANNES BEYER, Archidiaconus S. Lubentii dedit JOANNI Abbati S. Mathiæ ejusdem Ecclesiæ investituram cum curâ.\*

\* *His verbis: Prælibato Reverendo Domino Joanni Abbati CURAM, & regimen dictæ Vicariæ in Villmar nostri Archidiaconatus, cum plenitudine jurium COMMITTIMUS, ipsumque de eadem, una cum juribus, censibus, redditibus, decimis, fructibus, & obventionibus universis, per nostri Byreti impositionem, prout ad nostrum spectat officium, in Dei nomine INVESTIVIMUS, & INVESTIMUS de eadem, ita, ut de NOSTRA CURÆ ANIMARUM CONCESSIONE, & SUSCEPTA COMMISSIONE, in die districti examinis debitam valeat reddere coram Altissimorationem. Et his præmissis infra subjungit, præcipiens omnibus & singulis sæpèdictæ Vicariæ subditis, ut Abbati tanquam eorum, & dictæ Vicariæ vero Rectori, in licitis & honestis obediant, & intendant. Sunt plures per Diocesim Trevirensem Abbates, qui de casu in casum taliter commissionem regendi acceperunt.*

§. XVI.

**C**ùm saluberrimi Canones, & reservationes in limine unionis ipso factæ, malâ sæculi XVI. tempestate parùm attenderentur, renovavit eos provisionalis reformatio Cardin. Laurentii Campegii, Legati Apostolici ad Comitata Norimbergensia.\*

\* Anno 1524. Cap. 10. *Nec cui temerè cura animarum committatur, itaque probetur prius per Episcopam, vel ejus Officialem, etiam religio-*

*nem professus: nec liceat ulli Vicarium Ecclesie & plebi sua sufficere, sine autoritate Episcopi, aut Vicarii. Et Cap. 13. Monasteriorum Pralati, unitas Ecclesias habentes, prædictos Vicarios perpetuos, vel ad nutum amovendos, in eisdem Ecclesiis impostèrùm non constituant, nisi prius per Ordinarios, aut eorum Vicarios, ut idonei & apti, fuerint admissi.*

§. XVII.

**A**doptavit hanc quoque reformationis partem adhuc durante Tridentino JOANNES ab Isenburg Archiep. Trevir. in Synodo provinciali de anno 1548. \*

\*" Si verò vicarios alios, sive in propinquis, sive in distantibus, parochiis, *perpetuos, vel amovibiles*, pro arbitrio constituere, velint, hæc non præsumant, nisi per nos, nostros Suffraganeos, aut officiales nostros, & vicarios, tanquam habiles & idonei reperti fuerint, & admissi. Ejusdem Archiepiscopi præcepto tenebantur quoque *singuli pastorum non-residentium Capellani* singulis annis exhibere Decano rurali *commissionem* regendi.

§. XVIII.

**I**nterèa reformatio generalis Tridentina in tantum lauxit antiquos canones, ut admisioni ad curam præmitti jussert *examen Episcopi*. \*

\* Sess. 7. cap. 13. de reform. *Præsentiati, seu electi, vel nominati, à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quavis Ecclesiastica beneficia (quo nomine utique veniunt vicariæ parochiales) non instituuntur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Excipiuntur ibidem soli præsentati, electi, seu nominati ab Universitatibus, intellige, ne examinentur,*

*minentur, non, ut curam recipere ab Episcopo non teneantur.* Sunt autem illi soli immunes ab examine, quos in Theologiâ, vel jure canonico, jam examinavit Universitas, & concessione gradûs acadêmici, Licentialis vel Doctoralis, approbavit ut habiles, & scientificos: in reliquis cessât ratio. Vid. CENEDUS in *Decretum Collat.* 15. Comment. Cap. *Nullus* 2. dist. 24. ubi *num.* 3. docet, Doctorem non esse examinandum pro receptione ordinum, vel beneficii, quia nequidem Papa, si pro graduato rescribat, mandat inquiri de idoneitate, nec illum examinari,

§. XIX.

**J**Us antiquum, jure Tridentini novissimo sic instauratum, JOANNES VII. à Schönenberg, Archiep. Trevir. non dimisit, cùm anno 1587. antiquam Ecclesiæ Parochialis S. Antonii Eremitæ de hâc urbe incorporationem Canonicis S. Paulini confirmavit, & ampliavit, ut *omnem provisionem eis commiserit.*\*

\* Litteras ex Chartophylacio insignis, & primæ per Treviratum Ecclesiæ Collegiata, in originali cùm sigillo cereo mihi ostensas, hîc infero totas; quia vix ullum monasterium aut collegium similes ostendere poterit: JOANNES *Dei gratiâ sanctæ*  
*» Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Galliam*  
*» & Regnum Arelatense Archi-Cancellarius ac Princeps Elector. Uni-*  
*» versis ac singulis Christi fidelibus, presentes nostras litteras visuris, le-*  
*» cturis, seu legi audituris, præsertim iis, quorum interest, intererit, aus-*  
*» interesse contigerit, quosque infrascriptum negotium tangit, seu tan-*  
*» gere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiter-*  
*» nam. A prædecessoribus nostris ante annos complures incorporatam*  
*» fuisse comperimus tunc quidem Capellam, nunc autem Parochiam*  
*» S. Antonii in Civitate Trevirensi, juxta cæmeterium judæorum sitam,*  
*» Collegio sancti Paulini extra muros, desertam verò annorum decursu*  
*» ob tenuitatem reddituum. Cupientes itaque ex impositâ nobis Archi-*  
*episco-*

„episcopali curâ parochiæ illi commodè providere, illam semel factam  
 „incorporationem rursùm confirmamus, & OMNEM PROVI-  
 „SIONEM DICTÆ PAROCHIÆ collegio prefato COMMIT-  
 „TIMUS, ATQUE INJUNGIMUS, districte mandantes, ut  
 „idoneam personam, quoties vacare contigerit examini no-  
 „stro præsentent, cujuscumque de sufficienti competentia respondeant, in cu-  
 „jus rei expeditionem effectum, ne constitutio nostra reddatur collegio  
 „plus equo onerosa, unam, quæ jam in manibus nostris vacabat, preben-  
 „dam, atque item ex capellanatu alterum, extinximus, & incorpora-  
 „vimus, prout in præsens extinguiimus, & incorporamus. Nobis, ac suc-  
 „cessoribus nostris si minùs rectè collegium in providendo parochiæ  
 „præmemorate, aut ipsi vice-curato, processerit) juxta competentia de-  
 „signationem, & ex universis Collegii proventibus traditionem, facta-  
 „rumque prebendæ & capellanatûs incorporationum revocationem, sem-  
 „per reservantes, reliquos autem parochiæ redditus ac census per magi-  
 „stros fabricæ (uti hæctenus) levari & administrari, atque ad sarta  
 „tectâ, ornatum, luminaria, & cætera juxta exigentiam impendi vo-  
 „lumus; sed & istos fabricæ magistròs à Decano, uno seniore de Ca-  
 „pitulo, & pastore acceptari, eorundemque computationem quos  
 „annis audiri, ex quâ computatione ad cavendos inutiles sumptus De-  
 „cano, & computanti singulis tres batzeos, pastori & aliis de jure inter-  
 „essentibus duos singulis deputamus. Et computantem à die computa-  
 „tionis spatio trimestri ad liquidam solutionem astringi volumus. In  
 „quorum omnium testimonium præsentis secreti nostri appensione com-  
 „muniri curavimus. Data Confluentiæ 2da mensis Decembris Anno  
 „millesimo quingentesimo octuagesimo septimo.

§. XX.

**A**Ntistites verò subsequentes sedulò in suis ordinatis  
 successivis repetierunt, adeò, ut contra illos, ob ma-  
 lam fidem, præscriptio nasci non potuerit, tametsi ca-  
 nones aliàs eandem *contra examen*, & *commissio-  
 nem curæ*, paterentur.

\* Constitutiones LOTHARII Archiep. de anno 1622. art. 3. 4.  
 & 5. add. 25. Et recentius Serenissim. Elector. & Archiep.  
 no.

noſter FRANCISCUS LUDOVICUS an. 1722. ſanxit in Ordinat. Archiep. cap. 1. art. 7. *Omnes & ſinguli Decani debitam cum ſollicitudine attendant, ut non tantum illi, qui, ad regimen animarum in qualitate paſtoris, ſive vicarii, aut ſacellam amovibilis, aut perpetui, deſtinantur, literas inveſtituræ Archiepiſcopalis, ſeu Archidiaconalis, inſuper & commiſſionis regendi, ſeu approbationis, exhibeant.* Adde art. 9.

§. XXI.

**E**t huic ordinationi cum ſeſe accommodare debeant etiam Paſtores *actuales, veri, ac proprii*, qui diſpenſativè non reſident, \* quo juris colore ſubtrahent ſe *primitivi, abuſivi, habituales, & improprii?* \*\*

\* Trid. Seſſ. 6. cap. 2. Seſſ. 7. cap. 5. de reform. Add. cap. 3. \* de Cleric. agrot. & ſtatutum provinciale JOANNIS V. Archiep. Trevir. ſuprà §. 17. Abbatia S. Mathiæ poſſidet Parochiam in *Pellingen* jure *veri ac proprii paſtoris*, & tamen per Sigilliferum expediãta fuit anno 1619. Commiſſio regendi eandem Nicolao Meyero Presbytero Trevir. diœceſis, teſte computu.

\*\* Eſt enim inconvulſa regula: *Parochus primitivus in ſpiritualibus non poteſt, quod non poteſt proprius.*

§. XXII.

**N**eque hîc ad rem facit, quòd Vicarius parochi primitivi, ſeu reſpectivè Capellanus primarii & veri, *ad nutum ejus ſit amovibilis.* \*

\* Quia ratio canonica, propter quam omne regimen animarum ab Epifcopo derivari, & dependere debet, non petitur ex *ſtabilitate, vel mobilitate vicarii*: ſed, quia animas rectorurus quicumque *mitti debet apoſtolicè*, eique *mandari cura*, id quod ſolius Epifcopi reſervatum eſt, tanquam Paſtoris in ſua diœceſi privativè ad quosvis inferiores univerſalis. Unde in Sigilliferatûs Trevirenſis annotatis jam ante ſæculum & ultra leguntur pro *conductis cooperatores* (qui utique perpetui non ſunt) expe-

expedit æfuisse *Commissions regendi secundaria ad omnes parochiales alicujus Decanatus Ecclesias.*

§. XXIII.

ET hæc quidem asserta canonica communiter recepta sunt (1) in casu, quo *Vicarius secularis*, etiam *ad nutum amovibilis*, deputatur ad parochiam unitam: (2) etiam in casu, quo Ecclesia parochialis tantum est incorporata *ad effectum colligendi temporalia*, quam incorporationis speciem ego *infimam* vel *minimam* voco, alii *minüs plenam*. \*

\* P. ENGEL & SCHMALTZGRUEBER, aliique Canonistæ ad tit. *de Capell. Monachor.* Et ratio est, quia per hanc incorporationis imperfectæ speciem Abbas *nullum jus cura* quæsit, proindeque nihil ejus mandare, aut committere potest. Et hoc fundamentum persistit, etiamsi liceat Abbati ex indulto speciali deputare unum de Religiosis propriis, vel alienis, etimque amobilem. Quia per tale indultum non fit *plenior incorporatio*, sed tantum *libertas & commoditas major* quoad *delectum, & præsentationem vicarii*, contra stylum ordinarium.

§. XXIV.

QUæstio solùm est pro casu incorporationis, quam *secunda speciei* nomino, id est, *quoad temporalia, & spiritualia simul*, vi cujus Abbas non est nudus Parochus *primitivus, titularis, habitualis, & abusivus*; sed *proprius, verus, & actualis*. An hoc casu Abbas loco suû exponere queat monachum absque hoc, quòd Episcopus ei curam committat animarum? \*

\* Studiosè talem incorporationis speciem nolo appellare *pleno jure*, propter confusionem terminorum. Quia secundum linguam

quam Decretalium incorporatio *pleno jure* eadem est cum illâ, quam hinc inde Glossâ, interpretes, & potissimum recentiores Canonistæ, vocant *plenissimo jure*, ut manifestum fit ex textu Cap. 15. de præscript. *Tanto tempore probantur Ecclesia ab Abbatibus de Hevescam pleno jure possessa, ut videatur in eis Episcopale jus legitime præscripsisse.* Quocirca, dum propinantur textus, in quibus absolvuntur Regulares à petendâ commissione regendi, seu, ut in Galliâ dicunt, missione speciali Episcopi, pro Ecclesiis *pleno jure ad se pertinentibus*, hisque textibus probari vult, in parochiis *quoad temporalia & spiritualia* unitis, opus non esse receptione curæ prædictâ, sophisma est, depromptum ex æquivocâ hujus termini *pleno jure* acceptione (apud Authores, inquam, nullatenus in textu juris canonici) variante: Unde illi quidem, fatente P. ENGEL *loc. cit. num. 12.* in hâc materiâ valde intricatè & confusè loquuntur, non autem jura, nisi violentâ interpretatione voluerint fortè obscurari. Siqui ergò sic ratiocinentur: *Regulares possunt in Ecclesiis, ad se pleno jure pertinentibus, instituere vicarios absque Episcopo.* Arg. Cap. 31. de præb. & Cap. 3. de privil. §. 2. *Atqui, si Regulares habeant temporalia & spiritualia in Ecclesiis, hæc pleno jure ad eos pertinent: ergò tunc absque Episcopo instituere possunt vicarios:* periculosa æquivocatio, & captiosum sophismatis rete est, cujus majorem probant ex textu, minorem ex definitione passim reperibili apud modernos Canonistas. Uno autem ictu solvitur, si negetur minor syllogismi, & sophista remittatur ad idioma SS. Canonum, formato hoc inverso discursu: *Abbas in Ecclesiis, ad se pleno jure non pertinentibus, Episcopo vicarium representare debet instituendum; Atqui Ecclesia, simpliciter cum curâ & temporalibus unita, ad eum pleno jure non pertinet: Ergò in his Episcopo Vicarium representare debet instituendum.*

§. XXV.

P. ENGEL *ad tit. de Capel. Monach.*, postquam *num. 11.* malè definierat unionem *pleno jure* sic:

C

Quan-

„ Quando præter jus percipiendi redditus *etiam adm-*  
 „ *nistratio spiritualium, scilicet cura animarum,* in  
 „ monasterium translata est; Subjungit, propriâ sen-  
 „ tentiâ dissimulatâ, Abbatum jura circa parochias *ple-*  
 „ *no jure* incorporatas, ex doctrinâ communi, \* quam  
 „ tamen *alii* limitent, docentes, *Vicarium quemcun-*  
 „ *que in casu nostro debere præsentari Episcopo pro re-*  
 „ *cipiendâ curâ.* \*\*

\* Dixerat, in hisce parochiis unitis *Rectorem principalem censeri Ab-*  
*batem monasterii, huncque potestatem habere exponendi Vicarium,*  
*qui curam exerceat.* Hæc vera sunt. Præterea, inquit, mona-  
 „ steriis circa parochias, *pleno jure* incorporatas, multa alia  
 „ privilegia passim adscribunt DD. ita, ut *Abbati,* præsertim  
 „ monasterii exempti, *jurisdictionem quasi-episcopalem concedant:*  
 „ ex quâ proinde possit *in- & destituere, resignationes recipere, au-*  
 „ *thoritatem in alienationibus interponere, visitare, punire, censuras fer-*  
 „ *re, privare.* Hæc rursus vera sunt, sed non ad definitionem *in-*  
 „ *corporationis pleno jure,* qualem figuravit P. ENGEL. Quis  
 „ enim prudenter doceat, *per hoc, quod Abbas sit Rector principalis*  
 „ *parochia, possit que exponere Vicarium* (quod nemo disputat) eun-  
 „ dem mox effectum esse *Quasi-Episcopum loci,* sic, ut Episcopus,  
 „ qui ante incorporationem in jure ac potestate suâ habuit Ec-  
 „ clesiam cum personâ & plebe, postea cesset ibi esse Episco-  
 „ pus?

\*\* Probè adverterit utique laudatus Canonista, non posse subsi-  
 „ stere, quæ anteriores DD. tradiderunt de jure Abbatum in  
 „ parochias, *etiam cum curâ* sibi incorporatas; hinc subdit: „ Alii  
 „ tamen distinguunt inter unionem, quæ fit *pleno jure,* & eam,  
 „ quæ fit *plenissimo jure.* Unionem *pleno jure* appellant, quando  
 „ ipsa quidem Ecclesia est subjecta Abbati cum jure percipiendi  
 „ temporalia, & exponendi Vicarium, populus tamen subest  
 „ Episcopo. QUO CASU ipsum quoque Vicarium in iis,  
 „ quæ pertinent ad curam animarum, debere approbari ab

Epif-



„ Episcopo, ejusque jurisdictioni, & visitationi subesse, ajunt „ juxta Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 11. junctâ bullâ Gregor. XV. ita tamen, ut Vicarii, sive regulares, sive seculares, ponantur ad arbitrium Superiorum regularium, non verò Episcopi, NISI, QUOD AB EPISCOPO CURAM ANIMARUM ACCIPIANT. Isti AA. quoad substantiam consentiunt mihi, quia per incorporationem pleno jure intelligunt eam, quam ego dico mediam, seu temporalium cum curâ.

§. XXVI.

**N**equè video, quomodo huic limitationi contrarium defendi possit, post tot Canones antiquos, mædios, & jus novissimum Tridentini, \* roboratum tot constitutionibus Paparum, \*\* & signanter famosâ bullâ *Inscrutabili*. \*\*\*

\* Sess. 25. cap. 11. de Regular. *In monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familiâ, persone, tam REGULARES, quàm SÆCULARES, hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. NEC IBI ALIQUI, ETIAM AD NUTUM AMOVIBILES, DEPUTENTUR, NISI DE EJUSDEM CONSENSU, ac prævis EXAMINE per eum, aut ejus Vicarium, faciendo.*

\*\* PIUS V. in bullâ *Ad exequendum* multa circa parochias, Mendicantibus & aliis Regularibus unitas, favorabilia constituit, & nihilominus reservavit, quòd Episcopi tunc demùm teneantur Regulares, sibi à suis Superioribus præsentatos, ad parochias regendas deputare, si Ordinarii prævio examine idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint.

\*\*\* Gregor. XV. an. 1622. *Hæc generali, ac perpetuò valiturâ constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Re-*

gulares, quàm Saculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive secularibus incumbentem exercent, sive alias ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent præviâ Episcopalicentiâ, & approbatione, sive quoquo modo in dicta cura exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione, de facto, absque ullâ auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, OMNIMODÆ jurisdictioni, vifitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolica delegati, PLENE IN OMNIBUS subjiciantur.

§. XXVII.

**Q**uibus novissimè accessit anno 1744. Constitutio BENEDICTI XIV. Pont. Max., firmandis atque asserendis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis studiosè intenti, declaratoria, & definitiva variorum dubiorum,\* cum clausulis amplissimis.\*\*

\* Incipit *Firmandis*: statuitque (1) ut Episcopus visitans Ecclesiam Regularem, quæ insimul parochialis existit, inter cœtera omnia, quæ ab alio communi parochio exquirere solet, eâ occasione examinare possit: *An titulo legitimo Parochus, etiam Regularis, animarum curam exercent?* (2) Quod hujusmodi parochis sine præviâ Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam liceat, quamvis à suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles. (3.) Etiam in casu, quo cura animarum imminet Sedi residentiali Superioris alicujus Generalis, & tam ipsa hujus Sedis Ecclesia exempta, quàm Rector animarum curam gerens, omnimodæ jurisdictioni sui Superioris generalis subiectus est, Episcopo plenam, & privativam jurisdictionem competere in Parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere, propriam auctoritatem, & consensum (prævio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, QUOTIESCUNQUE superior hujusmodi Generalis aliquem, sive sacularem, sive regularem

*Parochum, seu Curatum, ETIAM AD NUTUM AMOVIBILEM, ad exercendam in prædictis Ecclesiis animarum curam personarum secularium deputare voluerit.*

- \* *Clausularum tenor longior est; ad rem præsentem sufficiat, non relevare contra hanc constitutionem Papalem, ullum privilegium, concordatum, consuetudinem, etiam immemorabilem, neque exceptionem, interessatos ad ea non esse vocatos, neque auditos &c. Ut proinde corruant, quæ docet P. ENGEL, cit. loc. num. 12. In hac materiâ plurimum tribuendum esse locorum consuetudini, concordis, & particularibus præscriptionibus. Item num. 14. Episcopum habere ad summum tantum institutionem autorizabilem, nisi & ipsa hæc approbatio vi privilegii, aut præscriptionis ad inferiores Prelatos pertineat. Et quidquid iste Canonista contempserit ad privil. 46. monaster. Denique cavetur, ut aliter judicatum sit irritum, atque inane.*

§. XXVIII.

**C**ANONES istos, serie ab ævo concatenatâ jurisdictionis Episcopalis *in curâ animarum* cuicumque, Regulari, vel Sæculari, Vicario, aut Parocho, ad nutum amovibili, vel perpetuo, *in plebem committendâ* vindices, suffugiet nemo, etiam exemptus Abbas, aut Cluniacensis, aut Caput Ordinis, *nisi habuerit jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos.\**

- \* Tridentin. *cap. cit.* & Conditor Canonum BENEDICTUS XIV. ejusdem in Constitutione prælaudatâ legitimus interpres, qui declaravit insuper, quòd *Abbatès*, aut Regularium superiores *simplices*, id est, illi, qui non sunt Generales, aut Ordinum capita, tunc demùm eximantur, *si jurisdictionem Episcopalem & temporalem exerceant.* Quo casu adest pleno jure *pertinentia Ecclesie ad monasterium.* Nec prætereundum, declarari ibidem, minimè attendendam fore *distinctionis notam*, (comma) *quæ in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita*

conspicitur inter verbum *Abbat*, aliudque *generales*, utpote *qua nullatenus reperitur in exemplari authentico Actuum ipsius Concilii, quod in Archivo Sedis Apostolica in Arce S. Angeli asservatur.* *Ab-*  
*bates* autem, aut quosvis alios *Praelatos*, jurisdictione quasi-  
 episcopali praeditos, prorsus ignorat *Trevirensis Principatus*,  
 ut adeo opus non sit, super exceptionibus à regula Concilii  
 esse sollicitum.

## S. XXIX.

ITaque periculosum est imitari velle, quod refert P.  
 ENGEL *ad tit. de instit. num. 8.* his verbis: " In  
 „ quibusdam diocesisbus Praelati, Episcopo inferiores,  
 „ ab antiquissimis temporibus, ante & post Concilium  
 „ Tridentinum, Regulares ad parochias, suis monaste-  
 „ riis *pleno jure* \* incorporatas, & *confessiones secu-*  
 „ *larium*, propria auctoritate, *sine approbatione Epif-*  
 „ *copi*, \*\* exposuerunt.

\* Ut saepe jam monui retrò, P. Engel per *pleno jure* intelligit  
 casum, quo Ecclesia parochialis *tam quoad obventiones, quam*  
*quoad curam pastoralem*, incorporata est: ita, ut Abbas sit *factu pa-*  
*stor*, alter autem ejus *Capellanus*. Unde nec ipse P. Engel hanc  
 licentiam attribuit *nudis parochis primitivis, & habitualibus*, qui-  
 bus Ecclesia propter solas obventiones, absque cura, unita  
 est, non aliter, quam religiosi militibus, aut parthenonibus.  
 Lege, quae docet *Privilegio 46. de Unione quoad temporalia*. Illi  
 ergo, qui Authorem hunc sequi volunt, suae unionis, & *incor-*  
*porationis, modum ac speciem* ante omnia bene examinent, ante-  
 quam Episcopo *traditionem cura* detrahere proponant, cum  
 sit res magni momenti propter nullitates *absolutionum, &*  
*matrimoniorum*, teneantque omnes pro certo, haec princi-  
 pia non subsistere *in casu incorporationis absque cura facta*.

\*\* Hoc è diametro repugnat Concilio Trid. *Sess. 23. cap. 15. de*  
*reform.* cassanti privilegia, & consuetudines quascunque, eti-

am

am immemorabiles. In Trevirensi diœcesi nullus Regularium Abbatum audet hoc praticare, ut in parochiis monasterio suo unitis exponat Regularem, nisi ab Episcopo saltem pro confessionibus excipiendis præviè sit approbatus.

§. XXX.

**E**T quanquam me non lateat, quòd in diversis Germaniæ diœcesibus, Abbates Episcopis dissimulantibus exponant suos monachos in parochiis sibi unitis, inscio Vicariatu generali: hic tamen excessus omninò deberet, post tot bullas Pontificias, extirpari per decreta inhibitoria, & interdicentia.\*

\* Quo casu in vanum P. Engel *adit. de instit. num. ult.* Sacramenta pœnitentiæ & matrimonii, ministrantibus absque approbatione Episcopi monachis, suscepta, fore valida contendit arg. *l. Barbarius 3. ff. de offic. prator.* Quia negatur suppositum, adesse hic *errorem communem*, cum sit eorum solorum error, & juris quidem, qui existimant, consuetudinis immemorialitate suffultos pergere posse, reclamante jure, Papâ, & Episcopis. Consultius aget hoc casu Abbas, si Episcopo monachum præsentet, cui cura committatur, protestando, quòd sibi actus iste non præjudicabit, si ab ipsomet Pontifice aliter decisum fuerit: Dico *ab ipsomet Pontifice*: Si enim ejus Auditores, & judices ordinarii, vel delegati, contrarium bullæ BENEDICTI XIV. judicarent, nullitas insanabilis committeretur, adeoque Episcopi inattentâ sententiâ executivè ad normam constitutionis procedere possent.

§. XXXI.

**A**Udiamus verò momenta hujus praxeos! *Primò* inquit apud P. ENGEL: "Excipiuntur à Trid. Regulares, qui parochiale beneficium habent: ergò parochiam habere, & approbatum esse, *item parochiam*

chiam conferre, atque approbare, paria, connexa, & correlativa videntur. \*

\* R. Exceptio Tridentini admittitur: Illatio prima similiter. Sed quis habebit Parochiam, sine prævio examine, & admiffione Epifcopi? Trid. Sefs. 7. cap. 13. de reform. Secunda illatio vera est, fi Epifcopus conferat parochiam auctorizabiliter: fi inferior, falſa, quia hujus collatio est mera deputatio, ad ſummum collativa tituli, quæ nondum est Miſſio, ſeu demandatio Cura.

§. XXXII.

SECUNDÒ: " In Trid. excipiuntur Abbates, *jurisdictionem quasi episcopalem exercentes*; Atque „ *jurisdictio quasi episcopalis* acquiritur etiam per „ incorporationem *pleno jure*, ſcilicet *quoad ſpiritualia, & temporalia*. \*

\* R. Major Syllogismi vera est, minor etiam, uſque ad *tò ſcilicet*. Nam uniri *quoad ſpiritualia & temporalia* nondum est uniri *pleno jure*. Priori caſu Abbas efficitur tantum *Parochus*, poſteriori *quasi-Epiſcopus*. Et in hoc est illa fallacia dictionis, quam ſupra detectam dedi. Inſpiciantur tantummodò formulæ incorporationum Trevirenſium *quoad temporalia, & ſpiritualia*, & apparebit, his non obſtantibus remanſiſſe non ſolum *jurisdictionem Epifcopi*, ſed etiam *Archidiaconi*: quomodo cum hoc conciliabitur prætenſa *jurisdictio quasi-Epiſcopalis*?

§. XXXIII.

TERTIÒ, " *Jurisdictio quasi-Epiſcopalis*, & in ſpecie „ *potestas approbandi confeſſarios*, præſcriptione, præſertim *immemorialis temporis*, acquiritur, „ docente PANORMITANO in Cap. *Cum non liceat* „ 12. de *Præſcript.* \*

\* R. Ju-

\* *Re. Jurisdictionem quasi-Episcopalem præscriptioni obnoxiam esse, constat ex Cap. Auditis 15. eod. Sed Abbas non ponit casum præscripta jurisdictionis quasi-Episcopalis: verum potius supponit, eam non adesse in Abbate: ponit enim sic: Quidam Abbas exemptus, habens in monasterio suo certam parochiam NB. populi non exempti, exercuit curam animarum per monachos suos, nunc uni, nunc alteri, committendo, prout videbatur sibi expedire, nec unquam recepit ipse curam ab Episcopo, nec ab eo fuit ipse Abbas, vel Præpositus cura per eum, visitatus, & hoc duravit per tantum tempus, de cujus initio non est memoria, nunc Episcopus vult visitare &c. Quæstio tunc pendebat Senis. Panormitanus Abbas opinatus est pro Collegâ suo Abbate. An causâ fuerit secundum illum decisa, ignoratur: hoc certum, quod argumenta Abbatis sint ficulnea, & principia intolerabilia visa Episcopis: hinc per Concil. Tridentinum, & tot Bullas Romanorum Pontificum, novissimè autem Petro per Benedictum XIV. rursus loquente, & causam eandem in bullâ - Firmandis - Spho Quæsitum fuit quarto loco, pro Episcopis decidente, omnis Panormitani auctoritas evanescit. Verba legantur supra §. 27. unà cum finalibus, in quibus per longum & latum contrariis plenissimè derogatur, maximè illis diffugiis, quæ suggerit P. ENGEL privil. 46. movens quæstionem. Quid si novæ bullæ proferantur, per quas multa in præjudicium Monasteriorum statuuntur?*

§. XXXIV.

**D**Enique, ut nihil dissimulare videar, quod pro monasteriis, & collegiis, in hâc materiâ afferri posset, laudant quartò velut Palladium suum, famosum Cap. *Visis* I. XVI. q. 2., in quo an. 876. JOANNES Papa, Syracusano Episcopo rescribens, constituit, *Ecclesias monachis traditas per suos Sacerdotes institus*, id est, regi, & gubernari: deditque deinceps omnibus monachis licentiam, *suarum Ecclesiarum investitores fieri.*\*

D

\* R. I.

\* **R. 1. GRATIANUS**, Glossa, & Interpretes omnes, uno ore dicunt, in decretali Joannis supponi incorporationem *pleno jure*, sic, ut Episcopus omne jus Episcopale à se abdicaverit. **R. 2.** Quæstio hic non erat de parochiis, abbatiali Ecclesiæ incorporatis; sed de ipsorum monasteriorum Ecclesiis, in quibus monachi divina & chorum suum celebrabant, tanquam sibi *pro quiete suâ traditis*, nullâ mentione factâ de *curâ plebis extranea, Episcopo adhuc subjecta, per monachos exercendâ*. In his monasterialibus Ecclesiis altaria, & capellas, habebant Clerici: hos ordinare, & investire prætendebant Episcopi; Pontifex respondit, abbatum esse *ordinare, & investire*. **R. 3.** Nihil hic de *institutione authorizabili*, quæ non continetur verbo *investiendi*. Arg. *cap. 4. de offic. Archidiacon.* Nam & Archidiaconus investituram habet, quin tamen curam committere queat animarum absque licentiâ & mandato Episcopi.

§. XXXV.

**C**Oeterùm, si tanti est PANORMITANUS, audiamus regulam ejus: \* *Ubicunque populus parochia non est exemptus, semper institutio quoad curam pertinet ad Episcopum, nec institutus potest per alium removeri.* \*\*

\* Quæ utique sanior visa est summis Pontificibus, & Conciliis. Traditur autem à Panormitano in *Cap. 1. de Capell. Monach. num. 6.*

\*\* De amovibilitate dicam infra *cap. 2.*

§. XXXVI.

**I**Mò verò Episcopi olim fuit, non solùm *curam tradere* personæ sibi à monasterio præsentatæ, sed etiam *hanc in Capellis sic unitis deputare*, de consilio monachorum; *Cap. 1. de Capell. Monach.* quod longè per-  
tinentius



continentiùs ac clariùs loquitur, quàm Cap. *Visis*. cit. *In Ecclesiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, \* sed Capellanus, qui populum regat, AB EPISCOPO, per consilium monachorum, \*\* instituat, ita, ut ex SOLIUS EPISCOPI ARBITRIO tam ORDINATIO ejus, quàm DEPOSITIO, & totius vite pendeat conversatio.*

\* Quia monachi potiùs est plangere, quàm docere, monasterii districtiorem tenere, quàm ecclesiasticis obsequiis deservire, ut ajunt Canones, & cum his S. BERNARDUS *Serm. 64. in Cant. ubi inter tentationum capiendas vulpeculas ponit desiderium predicandi, monachum incessans sub larvâ zeti. Scimus, monachi officium esse, non docere, sed lugere.* Et paulò post: *Ex his nempe claret, & certum est, quòd publicè predicare nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non misso licet.* Et quanquam monachi, quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, exponi queant curæ animarum, omninò tamen oportet vigilare Episcopos, ut ex iis deputentur meliores, neque illi in mare mundi navigare jubeantur, quos monasterii securus portus tolerare diutiùs nequivit: Nam *aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum facit. Cap. 36. XVI. q. 1.* Nisi fortè (sicut vulgares dicunt) malus choraula bonus Symphoniacus est: verba sunt S. Augustini *ibid.*

\*\* *Consilium monachorum sufficit requiri, nec tamen tenetur Episcopus sequi,* ait Panorm. in hunc textum. Ecce! quanta olim autoritas Episcoporum circa parochias monasteriis incorporatas: ipsemet elegit Capellanum, consulentibus, non obligantibus, monachis. Hodie monachi quidam non solum deputant Capellanos, sed etiam nequidem consensum Episcopi, aut traditionem curæ, requirunt: Quanta metamorphosis!

§. XXXVII.

**A**N ergò omnes parochorum, quos *incorporatio* se-

*cunda speciei fecit proprios, veros, & actuales, Vice-Curati, seu Capellani, ultra approbationem pro curâ subsidiariâ, & licentiam reconciliandi pœnitente, debent ab Episcopo sumere commissionem regendi, seu administrationem parochiæ in Sacramentis, & divinis? R. Non omnium, \* sed illorum duntaxat, qui ipsimet ad curæ exercitium non sunt expediti, \*\* vel admissi. \*\*\**

\* Sunt enim parochi habentes beneficium, E. g. Decanatum, aut Canonicatum, cui annexa est parochia: isti receptâ semel commissione regendi, per semetipsos regunt parochiam, & cum ordinarii sint pastores, delegare, vel mandare possunt conductis à se Capellanis curam, modò hi sint approbati ad Confessiones, prædicationes, & curam subsidiariam in genere commissam teneant. De his loquitur Joannes XXII. in Extrav. Execrabilis propè fin. in verbis: *In quibus est animarum cura, non per vicarios perpetuos, sed per Rectores aut ministros beneficiorum ipsorum, vel illorum temporales vicarios, exercenda.* Aliud foret, si tales, uti & alii quicumque parochi actuales, nihil per semetipsos possent facere amplius: tunc enim coadjutor petendus foret ab Episcopo.

\*\* Expediti non sunt, qui residere non possunt in parochiâ propter Ecclesiam majorem, cui deservire debent. Et ideò jubentur habere *Vicarium canonicè institutum.* Cap. 30. §. qui verò. *de preb.* Et hi vice-curati, vel Capellani, juxta provincialia statuta Trevir. de an. 1548. debent singulis annis ostendere Decanis christianitatum *commissionem regendi.*

\*\*\* Quædam monasteria habere possunt *incorporationem secundæ speciei, id est, obventionum, & cura simul, & nihilominus Abbas nequit exercere, aut committere, curam; quia in literis unionis reservatur, ut vicarium substituat.* Et talis vicarius curam recipiet

cipiet ab Episcopo: Ita pertinent ad Abbatiam S. Mathiæ *jure proprii pastoris* Ecclesiæ parochiales S. Medardi propè hoc monasterium, de Pellingen, & Henteren, nec non Capellæ in Crittenach, & Lampaden; hæc tamen clausulâ reservante, *ut salvo jure Archiepiscopi & Archidiaconorum in ipsis Ecclesiis idoneos substituant Vicarios, competentem eis assignantes portionem.* Quæ clausula planè conformis est *cit. Cap. 30.* licet non observetur, nisi in Henteren, ubi modò residet Vicarius secularis, habens quoque sub curâ suâ Capellam Lampaden. Reliquæ Ecclesiæ administrantur per Religiosos S. Mathiæ excurrentes, & manentes sub claustrali disciplinâ. Novissimè tamen Abbas per rem judicatam Almi Consistorii Trevir. jussus est Sacerdotem residentem in Crittenach constituere.

XXXVIII.

**H** tamen ipsi, qui *utroque modo*, id est, *quoad temporalia & spiritualia*, parochias sibi incorporatas obtinent, rectè ponunt aliquid plus *in formulâ presentationis*, quàm *nudi patroni*, aut *parochi primitivi*: nempe: *curam animarum in animam tuam committentes*; \* quia substituunt sibi Vicarium, *etiam in curâ*, per modum *mandati jurisdictionis*. \*

\*Intelligo *minùs principaliter*, & quantum est in parochia vero, alium vel *permanenter*, vel *usque ad revocationem*, sibi impedito, aut excusato, substituente. Nam *principalis commissio* datur ab Episcopo, cui Vicarius, aut Capellanus non-residentis parochi, præsentatur admittendus.

§. XXXIX.

**E**T penes hujus generis parochos residet *jus curæ cum vindicatione jurium parochialium*, etiam *spiritualium*:

tualium: \* Non item penes *pastorem primitivum*, qui *sola temporalia sub schemate pastoris* vindicat. \*\* In reliquis, e. g. divisione parochiæ, aut erectione filialis suæ in parochialem, non aliter intervenit, quàm velut alius quidam *interessatus*.

\* Qualia sunt obedientia, reverentia, communio paschalis, & reliqua officia parochianorum, subjectio Capellarum intra fines parochiæ existentium, sepultura, limites parochiæ. Pro his omnibus vindicandis suo nomine aget in judiciis *Pastor verus ac proprius*; licet vice ipsius, in majore Ecclesiâ residentis, Sacramenta parochianis ministraret Capellanus.

\*\* Repeto, quod dixi ab initio hujus capituli §. 1. in not. Pastoralitas divisâ est inter parochum primitivum, & Vicarium. Vicarius habet *jus cura*, parochus primitivus *jus obventionum*; uterque *suum, nomine ac jure proprio*, independenter ab invicem. Hinc non est bona comparatio *parochi primitivi cum domino directo fendi*; quia hic est solum *dominus in habitu*, vasallus in *actu utili, & exercitio*. Econtra parochus primitivus ex unâ parte *quoad temporalia parochia est proprietarius in exercitio*; ex alterâ autem Vicarius est *dominus cura*: adedò quidem, ut parochus primitivus eam duntaxat habere dicatur *in habitu* per abusivam vocis. GLOSSA super hâc quæstione fluctuat in *cap. 33. de præb. V. necessitas*. PANORMITANO in *cap. 30. §. qui verò eod. num. 15.* videtur placere sententia, quæ dicit, *jus curæ habitu, & quoad proprietatem, esse penes Rectorem principalem, quoad exercitium verò & effectum, peres Vicarium*. Quæ tamen resolutio mihi ex hâc causâ displicet, quia *nimum detrahit parochi vero, temporalem aut perpetuum Capellanum habenti, & nimum adjicit parochi abusivo*. Atque aliàs constat in Extravag. Execrabilis Joan. XXII. *de præbend.* illud beneficium non censeri curam animarum habere, quod annexam parochiam habet, in quâ est cura animarum per Vicarium perpetuum exercenda.

§. XL.

**N**Equè propterea primitivi pastoris Vicarius jus curæ privativum habebit minùs, quòd fortè illum primi-

primitivus pastor *ex privilegio speciali* pro nutu & arbitrio suo possit amovere. \*

\* Nam & *Vicarii temporales*, qui actualem parochum supra se non habent, & *parochi Commendatarii*, de quibus dixi supra §. 3. not. 2., vindicant sibi jus curæ.

## CAPUT II.

### Parochi primitivi jus præsentandi, & amovendi, Vicarium.

#### §. I.

**P**arochus primitivus repræsentat Ordinario loci Vicarium curatum, \* nisi patronatum cesserit alteri cuiquam.

\* Hoc jure gaudebit in Treviratu tantò magis, quò frequentius incorporationes fieri contingit mediante translatione juris patronatûs, à pristino patrono in favorem collegii, aut monasterii, præviè factâ.

#### §. II.

**V**icarii isti deberent esse *perpetui*: \* imò & illi, qui deputantur à parochis, non merè primitivis, sed *curam sibi imminentem & incorporatam præter temporalia habentibus*, saltem de jure. \*\*

\* Text. notab. in Cap. un. de *Capell. monach.* in 6. ejusque verbis: *Cum debeant esse perpetui.* Id quod innovavit LOTHARIUS Archiep. Trevir. in Constitutionibus editis an. 1622. art. 25.

\*\* Hoc

\*\* Hoc videtur omninò velle Cap. *Extirpanda* 30. *de præb.* Supponit enim talem parochum, *in quem per se caderet onus residentia personalis*, qualis non est *primitivus*. Verba autem hæc sunt: *Cum oporteat eum in majori ecclesiâ deservire, in ipsâ parochiali ecclesiâ idoneum, & PERPETUUM habeat Vicarium, canonicè institutum.* Usus tamen antiquissimus licentiam fecit parochijs, qui propter curam etiam *incorporationem* plus sunt, quàm merè *primitivi*, deputandi Vicarium *temporalem*, id quod jura posteriora videntur agnovisse. *Arg. Extrav. Execrabilis* in fin. Statuta quoque *Trevirensia* anni 1548. admittunt vicarios *amovibiles Pastorum non-residentium*: qui tamen non semper constituebant *amovibiles Capellanos*, sed interdum *ex pacto privato* ad dies vitæ, prout vidi instrumenta Sæculi XVII. desuper confecta.

§. III.

Quapropter, cùm ante Concilium Tridentinum, maximè Sæc. XIV. frequentissimè dispensaretur primitivis parochis, ut sibi liceret habere Vicarios usque ad benèplacitum: laudata Synodus Episcopis concessit facultatem, hæc dispensationes reformandi, minimèque suffragantibus privilegiis, & exemptionibus, reducendi.\*

\* Sess. 7. de Reform. cap. 7. *Beneficia ecclesiastica curata, que Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel monasterijs, beneficijs, seu collegijs, aut pijs locis quibuscunque, perpetuò unita & annexa reperiuntur, ab Ordinarijs locorum annis singulis visitentur, qui sollicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, ETIAM PERPETUOS (nisi ipsis Ordinarijs pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certâ re assignandâ, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.*

§. IV.

§. IV.

**V**icarios *perpetuos*, inquam, deputare potest Episcopus. *Et hæc est regula*, quâ statur: *Exceptio unica est*, non privilegium, non commoditas monasterii, non exemptio, non consuetudo immemorialis exponendi *amovibilem*, sed nisi *Ordinariis pro bono animarum regimine aliter expedire videbitur*. \*

\* Qui habet pro se regulam, jam hoc ipso habet justam causam, præsertim hic, ubi agitur de reducendis privilegiis, à jure communi exorbitantibus, ad terminos antiquos. Non ergo incumbit Episcopo, ut alleget *causam specialem*, cur deinceps habere velit in parochiâ incorporatâ vicarium *perpetuum*: sed qui præterdit *temporalem*, remonstrare debet Episcopo per specialia motiva facti, quòd in hoc loco *bono animarum regimini magis expediat vicarius amovibilis*, quàm *perpetuus*. Si remonstrazione parochi primitivi inattentâ Episcopus ordinet vicarium *perpetuum*, dabitur a quidem appellatio, sed cum solo effectu *devolutivo*, absque *suspensivo*. Et hæc sunt genuina, ac Tridentino conformia principia, non illa, quæ P. ENGEL in tract. de privil. monast. proponit privileg. 46. num. 4. his verbis: *Deinde etiam notabile est, quòd in illis parochiis, in quibus Vicarius secularis exponitur, Episcopus non pro suo libitu* (utique non est libitus, sed jus in regulâ) *possit instituire Vicarium perpetuum, sed id debeat facere ex justâ causâ*, (quali verò causales abbati specificas allegare, & justificare teneretur) *quâ deficiente dabitur appellatio*. Res jam est confecta, præstare in regulâ *perpetuum Vicarium* temporali Pastorem mercenario.

§. V.

**U**nica cùm sit exceptio ab istâ regulâ, *secundam* frustra apponit P. ENGEL: *Declaravit tamen PIUS V. in suâ bullâ Ad exequendum 475. §. 5., hanc*

*Tridentini constitutionem non procedere in parochiis, in quibus semper vicarios regulares, non sæculares, deserviri consuetum fuit.\**

\* S. PIUS V. Non declaravit Tridentinum, sed mendicantibus, & monachis dedit generale privilegium, deputandi ex suis Vicarios. Si dictæ parochiales unite erunt monasteriis Regularium mendicantium, possint à Superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus: quos si Ordinarii previo examine, per se aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in Regularibus monachis tantum, dummodo in eà parochiali, in quâ unus ex monachis fuerit, servatâ formâ prædictâ, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis. Verùm tota ista bulla cum duabus aliis revocata fuit, & reducta ad terminos, statimque juris communis pristinum, per Gregorium XIII. an. 1573. in bullâ, quæ incipit: *Intantâ*. Quod ipsum advertere non omisit P. Engel, quantum ad numerum quatuor sociorum. Debuisse autem sincerius agere, & pariter dicere, omnia privilegia, sic mendicantibus, & monachis concessa, revocata esse, consequenter Episcopo non ligari manus, quò minùs loco monachi deputet sæcularem Presbyterum.

§. VI.

**A**T inquit cum eodem P. ENGEL: "Non est credibile, fuisse intentionem Concilii, omnia monasteria uno verbo privare jure suo, quod habent exponendi Regulares ad parochias, vel certè Prælatos cogere, ut aliquem Regularem tanquam perpetuum vicarium instituant.\*"

\* Hoc ultimum non intendit Concilium: quia nullius officii aut beneficii perpetuitas quadrat Regulari. Hoc ipso autem, quòd



quòd Regularis nequeat esse *perpetuus* vicarius. & Episcopo in regulâ fas sit ponere *perpetuum*, sequitur, posse eundem omnes monachos vicarios remittere in claustrum, & deputare sæculares Clericos. Neque Concilio Trident. novum est, aut Canonistis incredibile, quòd uno verbo, aut paucis, antiqua Regularium privilegia revocentur, prout hîc.

§. VII.

**H**Oc interim de jure canonico certum est, monachum non debere in parochiâ unitâ \* residere *solum & absque socio.* \*\*

\* Imò nequidem in Prioratibus: unde Abbates ab Episcopo per censuram compelli possunt, ut hos vel ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per Clericos sæculares, vel alios monachos eisdem associant, cum quibus vitam possint ducere regularem. *Cap. fin. de Capel. Monach.*

\*\* *Cap. 2. § de statu monach.* Neque etiam canonici regulares, si commodè fieri poterit, qui licet inserviant regulæ laxiori, à monachorum consortio tamen non putantur esse sejuncti. *Cap. 5. eod.* Atque hæc saluberrima jura practicè urgere hodiernum potest Episcopus.

§. VIII.

**C**ùm verba Tridentini Concilii *generalia* sint, non pertinent ad solam *incorporationem primæ speciei*, sed etiam ad majorem, nempe *ipsius cura pastoralis*; si pastor verus, perpetuò impeditus, per semetipsum residere nequeat, vel in literis unionis jussus fuerit deservire per substitutum. \*

\* Prout exemplum est in incorporatione Ecclesiarum S. Medardi de Pellingen, Henteren, & Crittenach. *Ita tamen, ut salvo jure Archiepiscopi, & Archidiaconorum, in ipsis Ecclesiis idoneos*

*substituant vicarios.* Item in unione Ecclesiarum de Naumen & Waldt. Ita tamen, ut ad representationem Abbatis & fratrum ibidem idoneus instituat vicarius, qui nobis de spiritualibus, & ipsis de temporalibus respondere teneatur. Et iste status mutari à monachis non potest, remotis fortè Vicariis, qui residebant in loco, & substitutis monachis, qui excurrendo, & remeando ad disciplinam claustralem, præsent parochiis. *Arg. cap. 2. §. de suppl. negl. pralat. vers. Nolentes.* Si enim hoc voluisset Episcopus incorporans, vicarium sub-vel institui non mandasset. Atque ideo fallitur P. ENGEL, docendo, quòd Abbas parochiæ suo monasterio incorporatæ proficere possit *Regularem* vicarium, nisi expressè jubeatur deputare *Secularem*. Nam comparatis invicem diversarum unionum formulis, indèque collectâ mente unientium Episcoporum, nec non ipsomet statu & vocatione monachorum, potius obtinebit contraria regula: *Monachi in Ecclesiis sibi incorporatis curam exercere non possunt, nisi id ipsis expressè fuerit concessum.* Ad quid enim aliàs tot indulta, à Sede Apostolicâ per monachos impetrata, ut liceat sibi de suis exponere curatos in Ecclesiis incorporatis?

§. IX.

**N**ihilominus sæpèdictum decretum *Sess. 7. cap. 7.* non cadit in casum *cap. 11. Sess. 25. de Regular.* Quo nempe monasterio (idem est de Collegiata) *imminet animarum cura cum exercitio.\**

\* Tunc enim Abbas & monachi sunt respectivè *parochus*, & cooperatores *actualès*, proinde poterunt servatis servandis curam hebdomadariâ vicissitudine administrare, quin possit Episcopus in regulâ eis obrudere substituendum Vicarium *Secularem*, seu perpetuum. Atque ita censent profundioris meditationis Canonistæ cum PIGNATELLO. Et de hoc casu interpretor statutum provinciale Trevir. de an. 1548. *Ecclesias monasteriis unitas, si non tantâ intercapedine distant, quin Religiosi, earundem curam habituri, in communis vitæ regulari obser-*

observantiâ, & obedientiâ degere possint, per hujusmodi religiosos provideri & regi, modo idonei sint, NB. permittimus.

S. X.

**A** Motio, sive destitutio Vicariorum perpetuorum semper fuit penes Episcopum: \* *Temporalium*, sive *Regulares* \*\* fuerint, sive *Sæculares*, æquo jure pertinet ad Episcopum, & parochum primitivum, \*\*\* ita quidem, ut neuter alteri causas suæ amotionis manifestare teneatur, aut justificare.

\* Cap. 31. de præb. *Institutos verò remove non audeant Episcopis inconsultis.* Add. Cap. 3. §. 2. de privil. & Cap. un. de Capell. monach. in 6. ubi notetur: *Consuetudine, vel statuto quovis, non obstante.* Constitutiones Archiep. LOTHARII de anno 1622. art. 25. *Idem quoque juxta decretum Concilii Tridentini deberent esse perpetui, & sine scitu, consensuque nostro minime amoveri, seu revocari.*

\*\* Sic an. 1744. in dictâ superiùs bullâ *Firmandis* decidit BENE-DICTUS XIV. modernus Pontifex: *Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis, aliquem ex prædictis parochis ab exercitio cure removendum, eadèmq; privandum esse judicaverint; Quoniam hujusmodi parochis, sine præviâ Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis à suis Superioribus deputati, iidèmq; ad nutum sint amovibiles, dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere sine superioris Regularis consensu, & an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam, an Regularis Superior, ad similem remotionem & privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Quâ de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi parochos tam ab Episcopo, quàm à Superiore Regulari, æquo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum curâ removeri posse, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multòque minus probare, & verificare debere. Id quod à Nobis in omnibus approbatur, & confirmatur.*

\*\*\* Hoc

\*\*\* Hoc ipso enim, quod Episcopus vicarium admiserit sub qualitate *temporalis* (sive dies definitus fuerit, sive indefinitus) censetur contempsisse, ut vel finito tempore ejus officium exspiraret, vel duntaxat duraret usque revocationem presentantis.

§. XI.

**V**icaria parochialis \* *perpetua* reputatur ac tractatur in jure & praxi canonicâ *instar veri beneficii*, \*\* seu *tituli per se stantis*.

\* De *Vicariis chori* in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis nec sermo hic est, neque dubium, quod sint vera beneficia. Dantur etiam vicarii, seu Capellani, præter parochum fundati, qualis olim fuerat in Meyen, antequam hæc parochialis incorporaretur Canonix Regulari, per Balduinum ex Lonich in dictum oppidum translata, & postea in Collegiatam sæcularem conversa. Vid. Charta *Hist. diplom. Trevir. Tom. II. pag. 109.* Et horum vicariæ itidem sunt vera beneficia curata.

\*\* Cap. 27. § de Rescript. *Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetua vicaria proventus est provisum.* Add. CORVINUS *tract. gemin. de person. & benef. eccles. lib. 1. tit. 25. num. 7.* Et ratio est, quia est jus stabile percipiendi portionem congruam ex fructibus ipsius Ecclesiæ parochialis propter curam. Hinc quæcunque statuuntur in jure *circa parochos*, continentur etiam statuta in vicarios perpetuos. *Arg. Clem. un. de offic. Vicar. Cap. 27. cit. Cap. 2. § eod. Extravag. Execrabilis &c.*

§. XII.

**C**ùmque hoc *vicaria perpetua* beneficium inheret personæ, quæ potest mori, renunciare, aut privari, quin aliquid ejus, quod ipsa possederat, accrescat, vel devolvatur *ad pastorem primitivum*, \* consequitur, *vicariam talem* per cessum, aut decessum, *verè ac propriè vacare.* \*\*

\* Si

\* Si moriatur parochia incorporata vicarius perpetuus, nunquid parochus primitivus amplius quid agit, aut gerere valebit, quam cum viveret? Certè tunc non primitivus Pastor, sed Episcopus loci, committit interim vicarium animarum regimen cuidam Sacerdoti, ad normam Concilii Tridentini *Sess. 24. de Reform. cap. 18*

\*\* Quia verus Rector & Pastor titulus non adest: ergo *Rectoria* seu *Pastoria* vera vacat. Quanquam igitur *Ecclesiastialis* non vacet, neque conferatur de novo, cum sit per incorporationem semel ad semper collata: vacat tamen *verum ac speciale* in eadem *beneficium*, nempe vicaria curata.

§. XIII.

**N**Eque repugnat huic doctrinae *Clement. un. de excessib. pralat.*, per quam Ecclesiae curam habentes animarum, Clericis earum decedentibus *in veritate vacare* negantur, *si ad mensam* spectaverint *Abbatum*.\*

\* Nam Clementina haec non dicit, Ecclesias, ad abbatum mensam pertinentes, non vacare, *si habeant speciales Rectores*: hoc enim repugneret *Clement. un. de suppl. negl. pralat. vert. praemissa*. Sed declarat unice, quod *propter hoc, quia Abbates quandoque Clericis secularibus Ecclesiarum ad mensam suam spectantium FRUCTUS concedunt vel tradunt ad firmam, & hi decedunt, Ecclesia ipsa non vacent*, neque conferri possint ab Episcopis. Qui sane textus manifestè supponit *incorporationem mensae absque speciali rectore, seu vicario perpetuo*: cujusmodi occurrit: *in Clem. 1. de rescript.* Ubi dicit Glossographus: *loci, qui sunt de mensa, interdum non habent SPECIALES gubernatores; Unde licet illorum fructus clericis concedantur ad firmam, non vacant per mortem illorum*. Quod cum sit evidens, jure merito CLEMENS V. annumeravit attentata Episcoporum in hac parte excessibus. Audiat porro idem Glossographus ad dict. *Clem. un. de Excess. pralat.*

lat." Quæritur, quæ Ecclesiæ dicantur *proprie de mensâ Prælatorum*, vel Capitulorum, vel singularium dignitatum, vel præbendarum? Et videtur, quòd illæ, quæ sunt mensis eorum, *unitæ in tantum, quòd Rectorem, vel Vicarium perpetuum non habent alium, quàm illum, cui facta est annexio*, quod probat hîc litera. Et paulò inferiùs ad V. *non vacant*, rationem reddens Clementinæ ait: *illi enim non erant RECTORES, sed FIRMARII: scilicet, si RECTORES fuissent, licet MANUALES.*

§. XIV.

Quòd si autem Vicariæ perpetuæ sunt *vera beneficia*, verèque vacant, non video, quo argumento eas P. SCHMALTZGRUEBER \* post P. ENGEL eximat à mensibus Papæ reservatis, & à debito concursus, ex decreto S. Conc. Trident. indicendi. \*\*

\* *Lsb. III. Decret. tit. 5 num. 301.* Ejus ratio est; quia sic expressè statuit PIUS V. in bullâ *Ad exequendum*. de an. 1567. At quomodo expressè? Quia indistinctè, & sine ullâ mensium nominatione. Ergò expressè? Deinde tota hæc bulla, ut dixi §. 5. in not. est revocata. Et ponamus, quòd *Religiosi mendicantes ac monachi*, quorum mensis unitæ sunt parochiæ, habuissent, ac etiamnum haberent hoc privilegium, an propterea *Canonicorum secularium* incorporatæ parochiæ non subjacerent mensibus?

\*\* Cùm enim sola beneficia *juris patronatus laici* excipiantur à *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 14.* cœtera omnia concursui subjaceant, *etiamsi cura ECCLESIAE, vel EPISCOPO, incumbere dicatur* (Ergò sumus in casu incorporationis) & per unum, vel plures administratur, &c. *etiamsi obitus vel resignatio contigerit in curiâ; etiamsi parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit, generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti, seu privilegii, in favorem S. Rom. Eccles. Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum;* Quâ ratione eximet se parochus primitivus à concursu?

§. XV.

§. XV.

**F**Atetur laudatus P. SCHMALTZGRUEBER, Vicarias perpetuas esse vera beneficia: retorquendo autem solvere conatur argumentum sic: *Etiam beneficia patronatûs laici sunt propriè dicta beneficia, & tamen non continentur sub alternativâ.\**

\* Quasi verò ab unâ exceptione valeret argumentum ad inducendam aliam *in re plane disparatâ* ac dissimili, *contra verba generalia!* Adde, etiam beneficia patronatûs laici obnoxia fore alternativæ, *nisi fuerint ex dotatione, fundatione, aut constructione:* quantò minùs ergo eximentur vicariæ Ecclesiarum, monachis vel canonicis gratis incorporatarum?

§. XVI.

**A**It porro: *Jus, quod respectu Vicariæ Rectori principali competit, non est nudum jus patronatûs; sed jus quoddam in ipso beneficio, conjunctum cum dominio fructuum.\* Et nominatio, quæ fit ad vicariam, non est præcisè presentatio, sed vim institutionis collativæ tituli continet: \*\* ita, ut institutio, quam de sic nominato facit Episcopus, solum sit institutio, ut vocant, autorizabilis, seu approbatio nominati ad curam.*

\* Hoc fateor. Sed quid exinde infertur contra alternativam Vicariarum, quæ hoc non obstante verè vacant, & vera sunt beneficia, per unionem nullatenùs extincta, imò verò hujus occasione erecta?

\*\* Hoc prorsùs sine fundamento dicitur: nam *Ecclesiam esse monasterio incorporatam, & ab hoc posse representari Episcopo Vicarium*

*perpetuum*, diversa valde sunt ab hâc propositione: *monasterium instituit vicarium, & confert ei titulum*. Nihil certè hujusmodi habent SS. Canones, aut Chartæ unionum, imò verò contrarium. Et ponamus, totum verum esse, nondum conficitur, talem, ut prætenditur, nominationem locum habere etiam in mensè Papali.

§. XVII.

**D**enique non capio, quomodò hæc istius authoris scripta cohæreant cum iis principiis, quæ *eod. tit. num. 287.* præmiserat. Beneficia, ab alternativâ excepta, sunt 3. *beneficia incorporata* mensæ Episcopali, Capitulari, Abbatiali, vel alteri cuiquam Dignitati, aut beneficio *accessoriè* unita: quia etiam ipsa non vacant propriè, sed per hujusmodi unionem extinguuntur. Secùs, si unita essent alteri *equè principaliter*: nam tunc, *cùm nec nomen, nec titulum, nec effectum beneficii perdant*, non est ratio, quare non comprehendantur sub alternativâ? \*

\* Atqui Ecclesiæ parochiales sunt ita unitæ, ut *nomen, titulum, & effectum beneficii non perdant, sed retineant*: Imò verò *Vicaria perpetua nullo modo sunt unita*, sed aliquid separatum à mensâ primitivi pastoris, per se stans, nomen, titulum, & effectus omnes veri beneficii retinens: ergo non est ratio, quare non comprehendantur sub alternativâ? Cùm ad hanc sufficiant hæc tria: ut sit verum beneficium, ut verè vacet, neque sit ex fundatione patronatûs laicalis.

§. XVIII.

**I**Taque sanioribus principiis innititur stylus & observantia Consistorialis Trevirensis, quæ immunitatem



tem ab alternativâ non agnoscit, *præterquam in casu*, quo *plenior est incorporatio*, secundæ videlicet speciei, sive *quoad temporalia*, simul & *spiritualia*.\*

\* Ita frustra præsentatur Vicarius perpetuus in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri, si literæ incorporationis habeant solum: *Ecclesiam contulimus ad mensam*, absque mentione *cura in ipsum collegium unitivè simul translata*: nam istum unionis modum AA. vocant *minus plenum*, & *quoad temporalia solum*: juxta quem stare potest ex parte Rectoris, qui Vicarius perpetuus dicitur, *beneficium verum*, ac de tempore in tempus vacans.

§. XIX.

**T**erminus Concilii Lateranensis, vulgò dictus, id est, præsentationi faciendæ præfixum fatale, observari debet tam à *parcho primitivo*, quàm ab illo, qui plus est eo, quia *parochus cum incorporatione cura*; quotiescunque *Ecclesia incorporata non sic pertinet ad mensam* e. g. Abbatis, ut hic ipsemet *curam habeat*, sed *consuevit speciales administratores, seu Rectores habere*: \* licèt hi regulares fuerint, sicque nutu ad claustrum revocabiles.

\* Hic est genuinus intellectus *Clem. un. de suppl. negl. prelat. in princ. & exce. tione, subjunctâ*. *Premissa verò de prioratibus, Ecclesiis, administrationibus, & beneficiis intelligimus, QUÆ NON SUNT DE MENSA PRÆLATORUM IPSORUM, sed SPECIALES Priores ADMINISTRATORES, seu RECTORES CONSUEVERUNT HABERE; licet Priores, seu Administratores hujusmodi liberè possint ad claustrum (cùm oportuerit) revocari*. Et sic fert observantia Trevirensis: inattentis, quæ scribit P. ENGEL *Privil. 46. num. 1.* nimis genericè, excludendo necessi-

tatem observandi termini Lateranensis, nullâ distinctione factâ, utrum Ecclesiæ deserviri consueverit *per specialem Re-  
florems*, etiam nutu amovibilem, *nec ne?*

## CAPUT III.

### Jura primitivi Pastoris temporalia.

#### §. I.

**S**I *temporalia* considerentur parochiæ *emolumenta*,  
**UNIVERSITAS** proventuum Ecclesiæ est penes  
*parochum primitivum*, tanquam *verum*, & *princi-  
palem beneficiatum*.\*

- \* Probatum hoc ex variis capitulis juris canonici, quæ jubent vi-  
carios perpetuos, ut super temporalibus respondeant paro-  
chis primitivis. Itémque ex ipsâ indole, & sine incorpora-  
tionum, qui est appropriare Ecclesiam mensæ alterius Eccle-  
siæ Prælati.

#### §. II.

**A**Tque sic parochi primitivi, tanquam proprietarii  
Ecclesiasticarum obventionum, has suis vicariis  
*admodiabant*: quod vocabatur *dare ad firmam*,\* seu  
*in Arrendam*.\*\*

- \* De hoc Clem. *un. de Excessib. pralat.* ubi dicitur, quòd Abbates  
Ecclesiarum, ad suam mensam spectantium, fructus quando-  
que Clericis sæcularibus tradant, seu concedant ad *firmam*.  
Vox hæc frequenter occurrit in Capitulis.

- \*\* ARRENDA vox mediævi est, sicut quoque *Arrentamentum*:  
Est autem *arrendare* idem, quod locare, ad *centium*, seu ad  
*firmam dare*. Du FRESNE in Glossar. Ven. Capitu-  
lum

lum S. Simeonis Trevir. arendavit annis 1550. 1571. & 1600. Ecclesiam suam parochialem in Hönningen ad Rhenum. Arrenda Forma hæc erat: *Domini, Decanus & Capitulum precibus Domini Willibrordi Haymen de Rheinbrohl inclinati, favorabiliter annuentes dixerunt, & proposuerunt, se Ecclesiam suam in Hönningen dicto Domino Willibrordo arrendare velle.... Idcirco omnibus melioribus, modo, viâ, jure, causâ, & formâ, quibus potuerunt & debuerunt, prædictam Ecclesiam suam in Hönningen dicto domino Willibrordo, ut præmittitur, petenti, postulanti, assumentî, & recipienti, arrendaverunt, & in arendam concesserunt, sub modo & formâ sequentibus, videlicet, quod ipse dominus Willibrordus arrendatarius, nomine præfatorum dominorum Decani & Capituli de præscriptæ Ecclesie regimine in omnibus & singulis oneribus, modo & formâ, quibus bonum Rectorem decet, se submittet cum morum gravitate, & laudabilis viâ honestate tali, quod nullus sit in populo contra se, vel dominos ex vitâ inordinatâ scandali suscitator, HABERITQUE prædictus dominus Willibrordus ECCLESIAE REGIMEN IN COMMISSIS (Decano, ejusque successoribus ipsa etiam cura in Hönningen incorporata est, hinc talia ipse quidem scribere potuit, at non alius quicumque pastor mere abusivus) Et pro ejusdem regiminis onere sæpefatus dominus Willibrordus singulis annis recipiet eam partem decimarum bladi, quam hucusque plebani ibidem regentes habere consueverunt: Similiter & vineas ad ipsam Ecclesiam spectantes, quas unâ cum domo dotis Ecclesie, ac aliis pertinentiis in bona structura manutenebit: Item sex Amas vini albi ex decimâ dominorum de curiâ ibi sitâ: Item census cum cæteris accidentis, prout hætenus per plebanos sunt recepti... ET DE RESIDUO dictus dominus Willibrordus RESPONDEBIT.*

§. III.

**F**Undata hæc primitivi Curati intentio *ad universitatem reddituum* Ecclesie incorporatæ non extendit se de consuetudine Germaniæ nostræ ad *accidentales obventiones*, quales sunt jura stolæ, oblationes, \* & missarum stipendia.

\* In

\* In Gallia illi parochi primitivi, quibus convenit in festis solemnioribus divina peragere, his diebus, & non aliis, habent medietatem oblationum: Ordonnance de Louis XV. de an. 1726. art. 3. *Pourront cependant, lesdits jours seulement, & quand ils officieront, & non autrement, percevoir la moitié des oblations & offrandes, tant en argent, qu'en cire, l'autre moitié demeurant aux dits Curéz - Vicaires perpetuels.* Confer aliam ejusdem Regis declarationem de an. 1731. art. 5.

§. IV.

**M**AJOR & practica quaestio est, ad quem pertineat agrorum verè novalium decimatio? An ad *parochum primitivum*, an verò ad *Vicarium perpetuum*? \* Ego inspectis principiis juris communis, iudico, pertinere ad *parochum primitivum*, etiamsi *cum curâ* non sit parochus, \*\*

\* Van-ESPEN in *Tract. de jur. paroch. ad decimas* Cap. 1. §. 10. tradit ex Claudio le Pretre, Brodeau, & Fevret, in curiis regijs Galliae novalis decimas adjudicari vicario perpetuo, HERICOURT *Part. 3. pag. 110.* similiter eas vindicat vicario. Limitat tamen pag. 171. docens, Vicarium, si præoptaverit portionem congruam, quæ sunt 300. libræ, seu Franci, censeri renunciâsse decimis novalibus, quas tempore optionis percepit; non item postea exsurgentibus.

\*\* *Cap. 27. de decim.* Novalis decimæ pertinent ad parocchiam Ecclesiam *Cap. 29. eod.* ergò illuc, quò pertinet hæc ipsa: Atqui non ad alium, quàm ad parochum primitivum! Nempe quàmprimùm quaestio incidit de proventibus Ecclesiae, tunc fictione juris parochus est is, cui parochia quoad temporalia concessa est. Et in toto jure non invenio, quòd Vicarius perpetuus possit agere ad consequendum plus, quàm *portionem congruam.* Consentit Van-ESPEN in *diff. de incorp. altar.*

**N**Equè puto, Ordinationem decimalem Trevirensis d. d. 2. Octobr. 1731. §. 37. discessum à jure communi facere; \* quanquam verba ejus non sint absque scrupulo. \*\*

\* Sic autem habet: *Wärde aber ein Stifft oder Closter erweisen/ daß die Pfarr/ in deren bezirk der Noval entsteht / dem Stifft oder Closter völlig einverleibt/ und incorporiret/ mithin der Pastor weiter nicht/ als ein Vicarius perpetuus anzusehen seye / auch denselben von dem Stifft oder Closter seine portio congrua gereichet wörde/ solchen falls werden dem Stifft und Closter die Noval Zehnten billig gereichet/ und gelassen.*

\*\* Propter rō vöellig/ & sequentia: *mithin der Pastor weiter nicht/ als ein Vicarius perpetuus anzusehen seye / imaginari sibi possent Vicarii perpetui pirochorum abusivorum contrarium, cū ipsi quid sint amplius, quā puri vicarii, quia, quantū ad curam, veri Rectores, prout dictum supra Cap. 1. §. 3. Verū in lineā & consideratione emolumentorum nihil amplius sunt, quā Vicarii, & idē, de omnibus, exceptā congruā suā, responderi jubentur parochis primitivis. Neque verisimile est, Eminentissimum legislatorem nostrum per rō vöellig intellexisse incorporationem in temporalibus & spiritualibus simul, (1) quia talis non est tam obvia per Treviratū: leges autem feruntur pro his, quæ magis frequenter contingunt, & decisionem postulant. (2) Quia non scitur, parochos curatos, non-residentes, ab ullo Archiepiscopo post Tridentinum jussos fuisse, deputare Vicarium perpetuum: loquitur verō ordinatio de Vicario perpetuo. Denique (3) verba reliqua: auch denselben seine portio congrua gereichet wörde/ satis innuunt, criterion in hāc controversiā optimum desumi ex eo, si Vicario perpetuo assignata sit portio congrua in nummo, blado, tritico, censu, vino, ex manibus primitivi parochi accipiendo: tunc enim signum est, quod Vicarius non habeat jus in re sive fructibus Ecclesiæ, sed tantū jus ad rem, ut consequatur certum ex pacto, vel assignatione incorporantis.*

§. VI.

**V**eruntamen jure mihi videtur Vicarius perpetuus in terris Trevirensibus petere novales decimas, in eo *districtu decimali*, qui sibi pro congruâ cessus est.\*

\* Id puto, significari per rō vōllig. Conformiter d. cap. 27. de *decim.* Nam in casu, quo Vicarius perpetuus gaudet districtu decimali, jam non pertinent amplius temporalia ad parochum primitivum *plenè, & cum integritate*: neque Vicarius perpetuus est purus tunc portionarius curatus (Ein Saec Pfarrer) sed *condecimator*: Dicunt autem SS. Canones, quòd etiam *simplex condecimator* pro quotâ decimarum veterum percipiat novales, *si rationabilem ostendat causam, per quam ad ipsum pertineat perceptio novarum.* Cap. 29. de *decim.* Quanto magis Condecimator curatus. Quis enim rationabiliorem habet causam, quàm is, qui ponit animam pro ovibus? Et secundum hæc principia judicabatur Trevis per Commissarios Archiepiscopales in causâ Kloster S. A... Contra Vicarium in E... quanquam altior instantia extranea sententiam reformaverit d. d. 26. April. 1749.

§. VII.

**A**B omni autem incorporationis ævo præbebatur Vicariis curatis hæc portio tam *medicè*, ac *diateticè*, ne dicam *avarè*, ut exortis propterea magnis querelis variæ constitutiones desuper fierent, atque cautelæ.\*

\* Hoc extirpandæ consuetudinis vitium tollere conatus est Innoc. III. in Concil. Gen. Lateran. relato cap. 30. *de præb.* Alii Pontifices non admiserunt uniones, nisi prius assignata fuisset congrua portio vicario. Veluti URBANUS VI. dum an. 1387. incorporabat Carthusiæ Confluentinæ Parochiam de

**Covernâ:** *Proviso, quòd congrua portio dicto perpetuo vicario, si PRIUS assignata non fuerit, per te, de ipsius parochialis Ecclesie fructibus, redditibus, & proventibus, ASSIGNETUR, de quâ idem vicarius valeat congruè sustentari, Episcopalia jura solvere, & alia incumbenti onera sustentare.* Hanc providentiam quoque tenebat BOEMUNDUS noster, dum an. 1299. Ecclesiam de Urio incorporabat Parthenoni S. Agnetis Trevir. *Assignatâ PRIUS Vicario, qui in ipsâ Ecclesiâ pro tempore deserviet, de proventibus ipsius Ecclesie portione competenti, ex quâ possit honestè sustentari, & sufficiat ad onera ipsius Ecclesie supportanda.* ALEXANDER III. in Cap. de monachis 12. §. de præb. constituit, ut Episcopus ad præsentationem illorum nullum vicarium recipiat, nisi tantum ei de proventibus Ecclesie coram ipso fuerit assignatum, ut jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere. Et pro hoc præstando Episcopus præfiget terminum præjudiciale. Clem. 1. de jure patron. Reprobantur ergò omnes clandestinæ conventiones, quas subinde non absque labe simoniacâ faciunt parochi primitivi, præsertim mulieres, cum præsentando Vicario, antequam literas in ejus favorem expediant.

§. VIII.

**S**apientissimè ordinavit magnus BALDUINUS noster, \* quòd, licet vicarii quovis modo minùs sufficientem portionem acceptaverint, nihilominùs actionem habeant ad augmentum portionis: Et, si vicarii agere nolint, vel non audeant (mox enim salutantur ingrati cuculi, nec promoventur altiùs ab eodem patre primitivo) Episcopus suum officium de plano, & absque judiciali strepitu interponat. \*\*

\* Videatur omninò hujus Archiepiscopi Ordinatio de an. 1310. cap. 17. in Tom. II. Histor. diplom. Trevir. Quam nemo putet abiisse in desuetudinem: cum sit res æquissima, & publicè interfit, remediis efficacioribus procurare competentiam vicariis,

& coërcere avaritiam eorum, qui os bovi trituranti contra divinum præceptum alligant.

\* Contra hanc ordinationem, publicæ utilitatis gratiâ conditam, nihil patrocinantur juramenta, quæ haud infrequenter præstare debent vicarii parochis primitivis: *Annui mei salarii quantitate & qualitate contentus habeo; neque patronos meos de competentia insufficienti molesto.* Quòd si mutata temporum facies non ferret amplius tenuitatem congruam, primitivus olim assignatæ, tunc actio dabitur ad augmentum congruam; semperque favorabiliores in dubio erunt partes Vicarii, quam parochi primitivi.

§. IX.

**P**ortio, in re certâ semel assignata & fixa, aut ab antiquo assignari solita Vicariis, non potest factò, & arbitrio parochi primitivi auferri: quia assignatione acceptatâ vicariæ nomine, portio abdicatur à parochò, & transit in dotem, jus, ac proprietatem Vicariæ. \*

\* Facit text. notab. in Cap. 3. de offic. Vicar. *Non potest assignatam sibi minuere portionem.* Et sic fert usus Dicoeseos Trevirensis, ut, quod ab antiquo Vicarius consuevit habere, eidem maneat, succumbatque in judicio parochus primitivus, qui fundos, decimas, aut quosvis alios proventus, à Vicariis possideri ac percipi solitos, ad se retrahere præsumit, tametsi alium sustentationis modum surrogare intendat.

§. X.

**S**urreptum \* quidem fuerat S. PIO V., ut is ligaret Ordinariorum libertatem in portione congruâ determinandâ per universalem constitutionem; \*\* Sed GREGORIUS XIII eandem, ut dixi, tota quanta est, reduxit ad terminos juris communis. \*\*\*

\* Ut



\* **Exordium Reductionis Gregorianæ**: *Intantâ rerum, & negotiorum mole, quâ Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assidue premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere. Et infra idem GREGORIUS narrat, quòd S. PIUS V. interdum conquereretur, multa aliter, aliòque sensu, à se probata fuisse, quàm literis expressa essent.*

\*\* **Voluit, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos in assignatione portionis, ipsis Vicariis perpetuis ex Concilio Tridentino ipsorum Prælatorum arbitrio faciendâ, ita se continere & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignetur, nisi Vicariis solitum fuisset plus assignari, sive in quantitate, aut quotâ fructuum, pecuniâque numeratâ, fundo, seu aliâ re stabili, portio hujusmodi constituatur, cujuscunque valor parochialis ipsa unita fuerit &c.** Ita Bulla ad Exequendum. Quæ tanè in Treviratu nostro non minores controversias suscitâset, quàm, referentè GREGORIO XIII. alibi suscitavit; attento, quòd Vicarii in patriâ nostrâ ex congruâ sibi assignatâ solvere debeant sic dicta *Simpla*, sive censum tributarium, instar laicorum.

\*\*\* **Bulla reductionis**: *Nos hâc tantâ varietate cognitâ, quæ ex multiplici literarum, & constitutionum varietate procedit, presentibus, & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributa potestatis plenitudine statimus, & ordinamus, de prædictis, & aliis OMNIBUS literis, & constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus pro quoruncunque Regularium, etiam Mendicantium, Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanârunt, ac OMNIBUS, & QUIBUSCUNQUE IN EIS CONTENTIS, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subjectâ materiâ futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex sacris dicti Concilii decretis, sive aliâ legitimè ante dictarum literarum & constitutionum editionem erat, & si ipsa non emanâssent, futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, suumque PRISTINUM, & INTEGRUM STATUM, ac terminum, illa omnia reducimus.* Hæc per extensum allegare oportuerat, ne illi, quia nimîâ facilitate omnia credunt ita esse, uti Autho-

res referunt, neque originales textus evolvunt, relinquantur in errore, dum P. ENGEL dict. privil. 46. legunt ita scribentem: " Præterea, quia nonnulli Episcopi „ abutebantur potestate sibi datâ in Concilio d. c. 7. Sess. 7. „ & Vicariis perpetuis tantam portionem assignabant, ut „ vix aliquid monasteriis aut collegiis de fructibus reman- „ serit; ideò rursùs PIUS V. in d. bullâ *Ad exequendum* „ declaravit, quòd cujuscunq; valoris & oneris parochia fue- „ rit, non debeat Vicario pro suâ portione major, quàm cen- „ tum, nec minor 50. scutorum annuorum summa, compu- „ tatis omnibus, etiam incertis, emolumentis, & aliis obven- „ tionibus communiter percipi solitis, assignari, nisi jam priùs „ ante designationem Episcopi Vicario plus fuerit dari soli- „ tum. Reductio non latuit P. ENGEL, eandemque probe novit quoad numerum quatuor sociorum: ubi bona fides auctoris, quòd tacuerit? Nempè ex affectu lapsus est pro domo suâ. Sit iste passus moniti loco, *tractatum* hujus Canonistæ, aliàs celeberrimi, *de privilegiis & juribus monasteriorum* providè legendum esse.

---

## COROLLARIA ex omnigeno jure.

### EX JURE NATURÆ.

#### I.

**S**icut in omni contractu, ita quoque in matrimonio discerni debet substantiale à naturali. Hoc enim abesse potest, saltem DEO volente, illud nullo modo.

II. *Substantialis Matrimonio est conjunctio maris & fœminæ.*

III. *Unicitas, & perpetuitas, sunt in hac perfectissimâ societate naturalia,*

IV. *Et quidem ita, ut nullo more, nullâ dispensatione, nisi Divinâ, abesse queant ab illâ,*

V. *Ex quo apparet, quo sensu repugnent juri naturali Polygamia, & Divortium.*

*VI. Quare Polygamia non est res calculi, ut nimis argute Philosophatur l'Esprit des Loix.*

*VII. Neque ejus licentias vel prohibitio, mensurabitur ab eo, utrum in hac illave mundi plagâ fœmellarum copia longè excedat masculos, velut in Asiâ, utrum pari ferè numero nascantur, sicut in Europâ*

*VIII. Absurdissimum verò esset dicere, in regione, qua redundat plurimis masculis, paucis fœmellis, licere Polyviriam.*

EX JURE CANONICO.

I.

**E**cclēsia non pertinet ad quemquam, nec præscribitur pleno jure, nisi totum jus Episcopale pertineat, aut præscribatur.

*II. Hoc postremum fieri potest spatio quadraginta annorum. Cap. 15. de præscript.*

*III. Sed una, alterave portio juris Episcopalis non potest aliter præscribi, quàm ad normam Cap. 1. de præscript. in 6.*

*IV. Visitatio autem, & procuratio, planè sunt impræscriptibiles. Cap. 16. de præscript.*

EX JURE CIVILI.

I.

**D**ivisio contractuum in bonæ fidei, & stricti juris non pertinet ad inanem jurisprudentiam formulariam:

*II. Sed ex ratione, & æquitate juris descendit.*

*III. Servitque ad interpretationem effectûs pactorum adjectorum, operationem doli, initium usurarum.*

*IV. Hinc præproperè nimis à modernis eliminatur, velut moribus nostris contraria.*

*V. Et reformandus est Baldus, qui docuit, de jure canonico omnes contractus esse bonæ fidei.*

*VI. Si Justinianus scivisset plures bonæ fidei contractus, non omisisset illos in §. 28 Inst. de actionibus.*

*VII. Unde enumeratio illic facta est præcisa, adæquata, & exclusiva, secus, quàm enumeratio servitutum prædialium. Princip. & §. 2. inf. de servit. præd.*

VIII.

VIII. *Perperámque in censum eorum contendit Böhmerus intrudere mutuum.*

IX. *Judiciis, seu actionibus bonæ fidei, correspondent semper contractus bonæ fidei, sic, ut isti termini pateant æquè latè.*

X. *Secus est in Judiciis stricti juris, nam hæc numero plura sunt, quàm contractus.*

### EX JURE PUBLICO.

**N**on tantùm Imperator, sed etiam Rex Romanorum, viro Imperatore electus, præcedit in conciliis generalibus omnes Reges Christianos.

### EX JURE CRIMINALI.

#### I.

**R**eo inquisitionem in se specialem dicente præmaturam Judex sine interlocuto ad ulteriora procedere non debet.

II. *Præmatura autem est, si defuerint indicia ad capturam, & inquisitionem sufficientia.*

III. *At hoc casu consultius est reo, dicere: non teneor respondere, quàm inficiando, aut restringendo, se se in accusationem intromittere, & causam deteriorem facere.*

### EX JURE FEUDALI.

**F**euda Trevirensia non sunt propriè oblata, & siquidem talia ferent, citra expressam conventionem non sunt fæminina.

### I. O. H. D.

